ORIGENIS PHILO-
CALIA, DE ALIQVOT
PRAECIPVIS THEO-
LOGIAE LOCIS ET
QVÆSTIONIBVS.

GILBERTO GENEBRARDO, THEOLOGO
PARISIENSI, DIVINARVM HEBRAICARVM-
QVE LITERARVM PROFESSORE
REGIO INTERPRETE.



PARISIIS,
Ex Officina Petri l'Huillier, Via Iacobæa, ſub ſigno Oliuæ.
M. D. LXXIIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

DOCTISSIMO, ET REBVS OMNIBVS ORNATISSIMO, D. IACOBO BILLIO, S. MICHAELIS IN EREMO COENOBIARCHÆ, G. GENEBRARDUS

dus Theologus Parisiensis, Diuinarum, Hebraïcarúmque literarum professor Regius.

IN conquirendis libris nondum euulgatis magni illius & verè Adamantij Origenis, vt eos antè publicatis adiungerem, vir doctissime, & quod infinities pluris facio, religiosissime, Philocaliam ex eius libris aggregatam à tuo illo Gregorio Nazanzeno, & eius Achate fidissimo magno Basilio ad Theodorum Thyaneum, è regia bibliotheca huiusmodi bonis Græcis referta, sum consecutus. Hîc non puto te quærere, quanta sim voluptate affectus, qui me scis talium lectione delectari. Itaque semel acceptum in manibus legi, probaui, verti, tuo nomini dedicaui. Quis enim tantum thesaurum à tantis viris collectum, in situ & pluteis conclusis diutiùs recondi sineret? Quis varias & multiplices quæstiones de scriptura, de disciplinis exteris, de fide, de Deo, de materia, de libertate arbitrij, de prædestinatione, de causa bonorum & malorum aduersus impios eruditè & subtiliter explicatas, intra priuatos muros includeret? Quis bonus fragmenta complurium librorum bonorum, quos retulit & magnoperè commendauit antiquitas, cæteris inuidêret? Nam vel id fructùs ex hoc Breuiario consequimur, quòd quodammodo extincta opera reuiuiscunt, & eorum pictura ante oculos sic ponitur, vt è fragmentis de toto corpore liceat iudicare, ac (vt aiunt) ex vnguibus leonem cognoscere. Taceo plurima desumi ex iis libris, qui hodie extant, latinéque leguntur, quæ nobis etiam magno vsui fuère ad nonnullos istorum locos corruptos restituendum atque explicandum. Rectè autem liber est Philocalia inscriptus, vt aliquid dicam de nomine: quoniam hæc vox primis nostræ Ecclesiæ seculis de rerum incorporatarum & summarum philosophia vsurpabatur, vt potest intelligi è D. Augustini retractationibus: qui etsi improbat, quod contra Academicos scripserat, Philocaliam & Philosophiam esse germanas, & eodem parente procreatas: at se mox retinet, atque hoc nomen honorandum agnoscit, quia Latinè interpretatum, inquit, amorem significat pulchritudinis: & est vera ac summa sapientiæ pulchritudo in rebus incorporalibus atque summis, vt non tam Philosophia & Philocalia sorores duæ dici debeant, quàm eadem ipsa. Ita quidem ille. Sed maiorum traditio sententiæ apud me tenet principatum, & ad vitandam confusionem, Philosophiā de rerum humanarum, & diuinarum etiam, sed humanis ratiocinationibus perceptarum cognitione, Philocaliam de rerum diuinarum cælesti reuelatione & verbo Dei comprehensarum sapientia, malo interpretari. Ex quo & causam duco, cur Origenis Philocaliam à nobis Latine vtcunque expressam in tuo nomine primùm apparere velimus. Nempe tu istiusmodi Philosophiæ es deditissimus, tu te ea in tuis rebus aduersis instar Boethij consolaris, quibus hoc octennio plurimis à domino bonorum agonotheta valde fuisti exercitatus: tu veræ & absolutæ pulchritudinis es amantissimus, quemadmodum ardētes & pij illi tractatus loquuntur, quos quotidie Latine Gallicé ve magno cū assensu piorum omniū emittis. Deinde tuum Gregorium tam fideliter & doctè Latina linguà à te repræsentatum habet auctorem. Gregorius ad Gregorij interpretem confugit: sub eius alis vult tutò esse & viuere. Nec eum cum suo Basilio miraberis tātum sumpsisse operæ, vt è variis Origenis telis, istud stroma contexeret, si recorderis eosdem eius tam fuisse studiosos, tam amatores, admiratores, æmulos, & prope alumnos, vt omnia eius studiosissime legerent, diligentiùs obseruarent, atque adeò notam hanc χ χ, quæ characterem significabat, in ipsius voluminibus pingerent ad indicandum peculiaria eius dogmata à communi Patrum definitione discrepantia. Aemulabantur Platonicos, qui hoc duplicatum χῖ Græcorum, vt tradit Laertius Diogenes, in Platonis operibus adhibebant, quo sententias & dogmata Platonis propria, in quibus ipse à cæteris Philosophis omnino dissentiret, notarent atque designarent. Cætera tu facile, pro summa quæ in te est eruditione, antiquitatis, linguarúmque trium notitia, adiunges, & ex arguto & presso ad Theodorum Thyaneorum Episcopum epistolæ stylo ac elegantia, Nazanzenum in hunc librum præfantem non difficile recognosces. Vale in domino. Lutetiæ. Calendis Octob. 1573.

Philocalia quid.

Lib. 1. Retrac. ca. 1.

Lib. 2. cōtra Academ. ca. 1

Philosophiæ & Philocaliæ discrimen.

Gregorius & Basilius studiosissimi Origenis.

INDEX EORVM QVÆ HOC libro tractantur.

ORIGENES DE AMORE PVLCHRI.

COllectionem hic liber complectitur Quæstionum scripturę, & Solutionum, è diuersis libris ab Origene lucubratis, coaceruatam à Gregorio & Basilio diuinis sapientibus: quam in tabula, eorum alter Gregorius Theologus ad Theodorum qui tunc Episcopatum Thyaneum administrabat, misit, vt sequẽs ad ipsum Epistola declarat.

GREGORIVS NAZIANZENVS
Theodoro Thyaneo Episcopo.

FEstum etiam sunt tuæ literæ, quódque prius duco, quia anteuertis tempus diligentia, ante tempus nobis festum celebrare tribuis. Ac ista quidem à tua pietate. Nos autem maximum eorum, quæ habemus, vicissim tribuimus, preces. Vt verò aliquem etiam commentarium à nobis habeas, hanc meam & sancti Basilij tabulam ad te misimus, quæ Origenis de studio pulchri selectas sententias continet, eloquentiæ studiosis vtiles. Hanc & suscipere dignare, & significationem nobis dare vtilitatis, studio atque spiritu fauens.

PHILO-

PHILOCALIA ORIGENIS

SIVE DE AMORE HONESTI

G. GENEBRARDO THEOLOGO

PARIS. INTERPRETE.

De diuinitùs inſpirata ſcriptura, quóque modo eam legere & intelligere oportet. Quæ obſcuritatis eius ratio. Cur aliqua eius ſecundum literam videantur impoſſibilia, vel abſurda.

E quarto de Principiis, & diuerſis aliis operibus Origenis.

QVONIAM de tantis rebus diſſerentes, minimè ſumus contenti communibus ſententiis & perſpicuitate eorum, quę incurrũt in oculos, ſed prętetea aſſumimus ad apparentem nobis demonſtrationem eorum quæ dicimus, diuinarum ſcripturarum no- B bis creditarum teſtimonia, & veteris, quod dicitur, Teſtamenti & noui, atque ratione contendimus noſtram fidem confirmare, necdum verò de ſcripturis, vt quidem diuinis, diſputauimus: age nunc de iis pauca per modum compendij differamus. Proponamus etiam, velut de diuinis literis, ea quæ nos ad id impulerunt: & primùm quidem, cur ab ipſis literis, & iis quæ in ipſis declarantur, dicta vſurpemus, de Moſe legiſlatore Hebræorum, & Ieſu Chriſto, ſalutariũ Chriſtianæ religionis dogmatum auctore iſta proferentes. Cùm permulti legumlatores extiterint apud Græcos & Barbaros, inuenti quoque ſint doctores veritatem ſe profitentes aſſerere, nullum tamen fuiſſe accepimus legiſlatorem, qui æmulationem ſtudiúmve exteris aliis nationibus, vt ſuas ipſius leges ſuſciperẽt, inſerere potuerit. Quin & Philoſophorum veritatis notitiam pollicentium, atque prodeuntium cum multo apparatu Logicæ demõſtrationis, quæ multum probabilis videretur, nullus potuit ſibi probatam veritatem diuerſis nationibus, vel potiùs vnius gentis præcipuæ multitudini inſinuare, etiãſi omnes optauerint obſeruari ab omnibus, ſi fieri poſſet, hominibus ſuas leges, quas præclaras arbitrabãtur, vellentque doctores haberi vbique terrarum eius, quam imaginabantur, veritatis. Verùm cùm non poſſent prouocare peregrinas multáſque nationes ad obſeruationem ſuarũ legum, ſuæq; diſciplinæ perceptionem, iſtud efficere principiò non ſunt C aggreſſi, rectè conſiderantes illud eſſe de iis quæ fieri nullo modo poſſunt. At vniuerſa tam Græcia, quam Barbaria, quæ per totum orbẽ terrarum patet, noſtræ legis æmulos habet infinitos, qui relictis patriis legibus, & his quos putabant Deos, cõplexi ſunt obſeruationem legis Moſaicę, & verborum Ieſu Chriſti diſciplinam, quãuis in ſe inflãmata eorum odia ſentiant, qui ſimulachra venerantur, & qui legi Moſis adhæreſcunt, quamuis etiam, vltra odium, morte periclitentur ob ſuſceptum Chriſti Ieſu Euangelium. Sed ſi attendimus, quo pacto tam paucis annis tãtum valuerit ille ſermo, tametſi profitentium Chriſtianam religionem alij inſidias ſint perpeſſi, nõnulli etiam propter ea de medio ſublati, alij amiſerint ſuas facultates, vt ſine magna doctorum copia ad orbem vbique prædicatione imbuendum, Gręci & Barbari, ſapientes & inſipientes, ſeſe adiunxerint ad Chriſti Ieſu piam fidem, maius humanis viribus opus dicere non dubitabimus, præſertim cùm Chriſtus dominus docuerit cum omni poteſtate & credulitate ſuum ſermonem vim robúrque eſſe obtenturum. Itaque meritò voces ipſius cenſeri debent oracula, vt cũ dicit, Quia apud *Mat. 24.* reges & pręſides ducemini propter me in teſtimoniũ ipſis & gentibus. Et rurſum, Multi mihi dicent in illa die, domine, domine, nónne in nomine tuo manducauimus & bibimus? & in tuo nomine dæmonia eiecimus? Et dicam eis, di- *Matt. 7.* ſcedite à me operarij iniquitatis, nunquam cognoui vos, Hæc quidem dominũ temerè protuliſſe, vt non eſſent vera, fortaſsè olim cõſentaneum erat. At cùm deinde euenerint, quæ cum tanta poteſtate effata erant, apparet Deum verè corporatũ ſalutarem doctrinã hominibus tradidiſſe. Quid verò attinet dicere Chriſtum fuiſſe prænuntiatũ, neque ceſſaturos Principes ex Iuda, neque duces ex femoribus, donec veniret ille cui repoſitum eſt, regnũ videlicet, adeſsétque gentium expectatio? *Gen. 49.* Manifeſtè enim ex ipſa hiſtoria apparet, & iis quæ hodie cernuntur, quòd à Chriſti temporibus nulli deinceps reges Iudęorũ extiterint, ſublatis rebus omnibus Iudaicis, quibus erant inſignes, nempè E tẽplo, altari, re diuina, indumentis põtificiis. Impleta enim eſt Prophetia, quæ dicebat, per dies multos ſedebũt filij Iſ- *Oſ. 3.* raël ſine Rege, ſine Principe, ſine victima, ſine altari, ſine ſacerdotio, ſine reſponſis. Hiſque oraculis vtimur aduerſum eos, qui aſſerunt, dum vrgẽtur his quæ in Geneſi à Iacob ad Iudam dicta ſunt, permanere adhuc Principem ex genere Iudæ, qui populo dominetur, non deficientibus de ſemine ipſius Principibus vſque ad Chriſti aduentũ, quem ſibi ipſi deſcribunt. Si enim verũ eſt, quod ait Propheta, Quia dies multos ſedebũt filij Iſraël ſine Rege, ſine Principe, ſine hoſtia, altari, ſacerdotio, reſponſis: & verò ex quo ſubuerſum eſt tẽplum, nec hoſtiæ offeruntur, nec altare inuenitur, nec ſacerdotium, perſpicuum eſt defeciſſe Principẽ ex Iuda, & ducem è femoribus eius. Ac quoniã Prophetia inquit, Nõ deficiet Princeps ex Iuda, & dux è femoribus eius, donec veniat cui ſunt repoſita: conſtat veniſſe illum cui repoſita ſunt, quiq; eſt ipſa expectatio gentium. Quod apertum fit è multitudine gentiũ, quæ per Chriſtũ in Deum crediderũt. Et certè in Deuteronomij cantico, propheticè declaratur *Deut. 32.* inſipiẽtium gentiũ electio, quæ futura erat propter prioris populi peccata, nec verò per aliũ, quàm per Ieſum extitit. F Ipſi enim (inquit) prouocauerunt me ad æmulationem in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in idolis ſuis. Et ego prouocabo eos ad æmulationem in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo eos. Licet autẽ facillimè perſpicere, quonam pacto Hebræi, qui dicuntur ad æmulationem prouocaſſe Deum in eo qui non erat Deus, & irritaſſe ipſum in idolis ſuis, prouocati ſint ad æmulationem in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta, quam quidem elegit Deus per aduentum Chriſti Ieſu, & diſcipulorum ipſius. Cernimus igitur vocationem noſtram, quoniã non *1. Cor. 1.* multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed fatua mundi elegit Deus, vt ſapientes confundat, & ignobilia & abiecta, & ea quę non ſunt, vt ea quæ erant prius, deſtrueret. Ne ergo glorietur carnalis Iſraël in conſpectu Dei, caro ab Apoſtolo ergo vocatus. Sed de iis, quę in Pſalmis prophetãtur de Chriſto, quid dicendum eſt? In eo maximè, qui inſcribitur Canticũ pro dilecto, cuius lingua dicitur eſſe calamus ſcribæ velociter *Pſal. 44.* ſcribẽtis, ſpecioſus forma prę filiis hominum, quandoquidem diffuſa eſt gratia in labiis ipſius. Argumentũ enim firmiſſimum diffuſæ gratię in labiis ipſius eſt, quòd breui tẽ- *Alluſio ad id Pſa.* pore tranſacta (annum enim & aliquot menſes do- *71. Donec* cuit) vniuerſus orbis doctrina & Dei cultu per ipſum in- *auferatur* ſtituto impletus eſt. Orta eſt enim in diebus eius iu- *Luna.* ſtitia, & abundandantia pacis, permanens vſque ad con-

G summationem, quæ Ablario Lunæ nominata est, & dominabitur à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad fines terræ. Præterea datum eſt ſignum domui
Eſa.7. Dauid. Virgo enim concepit, & peperit filium nomine Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus: vt & Propheta ait, Nobiſcum Deus. Scitote gentes, & vincimini, qui poteſtis vinci. Victi enim ſumus & ſuperati qui ex gentibus ſumus, capti à gratia verbi dei. Sed & locus natiuitatis eius prædictus eſt in Michea, his verbis: Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima
Mich.5. es in Principibus Iuda. Ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Iſrael. Sed & ſeptuaginta annorum Hebdomades impletæ ſunt, vſque ad ducem Chriſtum, quas
Dan.9. prædixerat Daniel Propheta. Venítque is, qui in Iob dictus
Iob.40. eſt Cetum ingentem conſumpturus, qui & dedit poteſtatem familiaribus diſcipulis ſuis calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & omnem virtutem inimici, qui nihil ab huiuſmodi lædebantur. Conſideret autem aliquis Apo-
Luc.10. ſtolorum in omnem locum diſcurſus, qui à Ieſu miſſi ſunt vt Euangelium prædicarent, & cernet Dei mandatum, & auſus hominem ſuperantes. Quod ſi conſideremus quo pacto homines nouam doctrinam & peregrinos ſermones audientes aſſenſerint, & dum vellent ipſis inſidiari, à diuina quadam virtute, quæ eis aderat, expugnati ſint, de eo nihil dubitabimus. quamuis etiam portenta patrarunt, Deo teſtimonium reddente ſermonibus ipſorum per ſigna, & prodigia, & diuerſas virtutes. His ſic breuiter de-
H monſtratis de deitate Ieſu, dum de eo oracula Prophetica attulimus, ſimul oſtendimus ſcripturas, quæ de ipſo prophetauerunt, diuinitus eſſe inſpiratas, quemadmodum & literas, quæ eius aduentum, doctrinam, omnis generis virtutem & poteſtatem prædixerunt, ſicque Gentium electionem confirmarunt. Quibus etiam illud addendum, Prophetarum oracula diuinitus inſpirata, & Moſaicæ legis ſpiritalem ſententiam maximè effulſiſſe, ex quo hunc in mundum Chriſtus aduenit. Neque enim perfacile erat ante aduentum Chriſti clara exempla proponere ad docendum veteres ſcripturas diuinitùs eſſe inſpiratas. Chriſti autem aduentus, eos qui poterant ſuſpicari legem & Prophetas minimè diuinos, apertè docuit cœleſti veluti gratia eſſe conſcriptos. Sed & qui cum omni ſtudio & digna attentione Prophetica dicta conſiderauerit, ex ipſa lectione percipiet diuini afflatus aculeos, & per ea, quibus afficietur, perſuaſum habebit, non humanos, ſed Dei eſſe ſermones. Lumen igitur, quod ineſt Moſaicæ legi, opertum velamine quodam, ſimul effulſit cum Ieſu aduentu, dum velamen ſublatum eſt, bonáque quorum vmbram habuit litera; in notitiam breui tempore prodierunt. Operoſum nunc fuerit enumerare ſingula, quæ à prophetis olim prædicta ſunt, vt qui dubitat, iis veluti diuinis perculſus, ambiguitatémque omnem atque dubitationem deponens, toto ſe animo tradat Dei ſermonibus.

I Porrò ſi minus doctis, in ſingulis ſcripturæ ſententiis, ſenſus qui hominis captum ſuperat, non videtur occurrere, nihil mirum eſt. Nam in omnibus quæ in hoc mundo Dei prouidentia diſpẽſantur, quædam quidem ſatis euidenter apparent prouidentiæ eſſe opera: alia verò tam occulta ſunt, vt dubitandi cauſam præbere videantur de Deo arte ineffabili atque virtute vniuerſa diſpenſante. Non enim tam aperta eſt ratio efficiendi, tam aperta energia dei prouidentis, in ſublunaribus atque in ſole, luna, & aſtris: nec tam perſpicua in humanis accidentibus & affectionibus, quàm in animis & corporibus animalium, cùm qui ea animaduertunt, facilè percipiant cur, quámque ob cauſam hi ſunt impetus, hæ viſiones & naturæ animantium, hæc corporum fabrica. Sed quemadmodum nihil capit detrimenti prouidentia, ob hæc quæ non comprehenduntur, apud eos qui prouidentiam ſemel egregiè perceperũt: ſic ſanè nihil ſcripturarum diuinitati per totas ipſas fuſæ detrahitur, ex eo, quòd ingenij noſtri imbecillitas in vnaquaque dictione minimè poſſit peruenire ad arcanũ ſententiarum ſplendorem, in humili & contempta locutio-
2.Cor.4. ne iacentem. Habemus enim theſaurum in fictilibus vaſis, vt fulgeat exuperantia poteſtatis Dei, neque è nobis, K
qui ſumus homines, eſſe exiſtimetur. Nam ſi demonſtrationum rationes apud homines tritæ, noſtris libris comprehenſæ, humanum genus conuertiſſent, noſtra certè fides meritò fuiſſet poſita in ſapientia hominum, non autem in Dei virtute atque poteſtate. At nunc cuilibet attollenti oculos perſpicuum verbum & prædicationem noſtram apud multitudinem non valuiſſe ex perſuaſibilibus ſapientiæ verbis, ſed demonſtratione ſpiritus & poteſtatis. Quocirca cùm virtus cœleſtis, aut etiam cœleſti Heb.5.
ſuperior, nos impellat ad eum ſolum colendum, qui nos Heb.4.
procreauit, tentemus derelinquentes initiorũ Chriſti ſermonem, id eſt, prima ſapientiæ elementa ad perfectionem ferri, vt quæ perfectis loquitur ſapientia, nobiſcum etiam colloquatur. Sapientiam enim pollicetur ille, qui 1.Cor.2.
ipſam poſſedit, vt inter perfectos prædicaret: ſapientiam autem non huius mundi, neque Principum huius ſeculi, quæ diſſoluitur. Hæc autem ſapientia in nobis clarè deſcribetur, & reuelationem patefaciet myſterij temporibus æternis abſconditi, nunc verò manifeſtati tùm per ſcripturas propheticas, tum per aduentum domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria in cuncta ſecula. Amen.

His ſic curſim commemoratis, ſcripturas ſcilicet ſacras diuinitùs eſſe inſpiratas, neceſſariò ſequitur, vt modum ipſarum legendarum atque intelligendarum pertractemus, plurimis peccatis efficientibus, ne homines teneant, quo pacto incedere ad ſanctas lectiones oporteat. Duri enim corde & idiotæ qui extiterunt de circumciſione in ſaluatorem noſtrum minimè crediderunt, dictionem oraculo- L
rum quæ de ipſo vaticinantur, ſe ſequi exiſtimantes, & ſenſibiliter non cernentes ipſum prædicaſſe captiuis remiſſionem, neque ædificaſſe quam ſibi fingunt, ciuitatem Zach.9.
Dei, neque exterminaſſe currus ex Ephraim, & equum ex Hieruſalem, neque butyrum & mel comediſſe, neque Eſa.7.11
priuſquàm noſſet aut elegiſſet praua, elegiſſe bonum. Prꝫterea arbitrati ſunt prophetatum, quòd debeat lupus animal quadrupes comedere cum agno, & pardus cum hœdo ſtabulari, vitulus, taurus & leo ſimul paſci, & à puſillo puerulo duci ad paſcua, bos verò & vrſus ſimul in paſtibus recubare, eorum catulis ſimul inter ſe educatis, leo quoque cum boue veſci paleis. Quæ cùm minimè cernerent ſenſibiliter eueniſſe in Chriſti à nobis crediti aduentu, non admiſerunt dominum noſtrum Ieſum. quin potiùs velut ſeipſum Chriſtum præter fas prædicantem cruci ſu- Cõtra veteres hæreticos.
ſpenderunt. Iam verò hꝫretici legentes, quod ſcriptum eſt, Ignis accenſus eſt in furore meo: &, Ego dominus zelo- Hier.15.
tes, reddens peccata Patrum in filios in tertiam & quartam progeniem: &, Pœnitet me vnxiſſe Saul in regem: &, Exod.20
Ego dominus faciens pacem, & creans mala. & alibi, Non 1.Reg.
eſt malum in ciuitate, quod dominus non fecerit: & illud, Eſa.45.
Deſcenderunt mala à domino ſuper portas Hieruſalem: Amos.3.
& iterum, Spiritus meus à Deo ſuffocabat Saul: ſexcentá- Mich.1.
que alia his conſimilia, fidem demere quidem vt Dei ſcri- M
pturis, minimè auſi ſunt. At credentes ipſas eſſe opificis, quem Iudæi colunt, quaſi opifex ille eſſet imperfectus, nec bonus, Saluatorem aduenîſſe, vt Deum perfectiorem denuntiaret, quem negant eſſe opificem, exiſtimauerunt, variéque de ipſo tumultuantes, atque ſemel deficientes ab opifice, qui ſolus eſt Deus ingenitus, figmentis ſeipſos tradiderunt: excogitatis hypotheſibus, quibus multa velut ſpectra de effectis viſibilibus & inuiſibilibus confingunt. Quódque deterius eſt, ſimpliciores nonnulli, qui de Eccleſia ſe eſſe gloriantur, opifice quidem nullum maiorem exiſtimant, rectam in hoc tenentes ſanámque ſententiam: verùm talia de ipſo ſuſpicantur, qualia nefas ſuſpicari de immaniſſimo & iniquiſſimo homine. Harum autem omnium falſarum opinionum, & impietatum, & ſimplicium de deo ſermonum cauſa nulla alia eſſe videtur, quàm quòd ſacra ſcriptura ab his non ſecundum ſpiritalem ſenſum, ſed ſecundum frigidum literæ ſonum intelligitur. Quocirca his qui credunt ſacros libros non hóminum eſſe ſcripta, ſed ex inſpiratione Spiritus ſancti, voluntate Dei vniuerſorum parentis per Ieſum Chriſtum

A ſtum dictatos, & ad nos perlatos, & tenent regulam Ieſu Christi ſecundũ ſucceſſionem Apoſtolorũ cœleſtis Eccleſiæ, rectas intelligentiæ vias, quæ videntur, demonſtrare conabimur. *Succeſſio Eccleſiæ.* In primis, quòd diſpenſationes quædam myſticæ declarentur per ſcripturas, omnes, etiam ſimpliciores, qui verbo fidem adhibent, credunt. Quænam verò ipſæ ſint, qui mente pollent, nec arrogantia agitantur, ſe neſcire confitentur. Si igitur quærat aliquis de filiabus Lot, quæ patri admixtæ ſunt, de duabus vxoribus Abraham, de duabus ſororibus quæ nupſerunt Iacob, de duabus ancillis quæ ex ipſo conceperunt, nihil aliud dicendum videtur, quàm hæc eſſe myſteria à nobis minimè intellecta. *Gen. 14. & 24.* Sed & tabernaculi conſtructio cum legitur, qui credunt huiuſmodi ſcripta figuras eſſe occultarum quarundam rerum, ſingula ad tabernaculum pertinentia ad certa quærunt accommodare. Et quidem dum credunt alicuius rei figuram eſſe tabernaculum, non errant: at dum aptant rationem eius, cuius typus tabernaculum, ad rem certam, congruenter ſcripturæ, aliquando aberrant. Præterea omnis illa deſcriptio quæ exiſtimatur vel de nuptiis, vel de procreatione liberorũ, vel de præliis, vel de quibuſlibet aliis hyſtoriis, quę apud vulgus narrantur, apertè eſt figura latentium ſacrarúmque rerum. Quarumnam autem figura ſit, interdum propter habitum non valde ſe confirmantem, interdum propter animi leuitatem, aliquando etiam, cùm quis maximè ſe collegerit, omnémque prouidentiam adhibuerit, quia tamen ſupra modum res inuentu ſunt difficiles, non admodum apparet, nec ſingulorum

B ratio ſatis oſtenditur. Quid attinet dicere de Prophetiis, quas omnes ſcimus ænigmatum & rationum obſcurarum eſſe plenas? Quòd ſi ad Euangelia accedimus, illorum etiã accuratus intellectus, vt quæ ſit mens Chriſti, eget gratia, quam habuit is qui dicebat, Nos autem mentem Chriſti habemus, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus. *1. Cor. 2.* Iam verò Ioannis Reuelationem ſi quis legat, quomodo non obſtupeſcet ad tantam occultationem arcanorum ſacramentorum, quæ & oſtenduntur non intelligenti ſcripta? Apoſtolorum autem epiſtolæ cuinam eorum qui iudicare norunt, videbuntur eſſe apertæ & intellectu faciles, cùm infinita illic etiam maximam occaſionem præbeant maximarum & plurimarum notionum, veluti per foramen? Cùm hæc ergo ita habeant, & innumerabiles errant, non ſine periculo pronuntiatur aliquem noſſe vel intelligere ea, quibus claue ſcientiæ opus eſt, quam Saluator dicebat eſſe apud legiſperitos. *Matth. 23* Atque hic mihi narrent, qui nolunt apud eos, qui Chriſti aduentum præceſſerunt, veritatem extitiſſe, quo pacto ſcientiæ clauis à Domino noſtro Ieſu Chriſto dicitur apud eos eſſe, qui vt iſti aiunt, carebant libris arcanis, & perfecta myſteria

C complectentibus? Sic enim legitur, væ vobis legiſperitis, „ quia tuliſtis clauem ſcientiæ, Ipſi non introiſtis, & volen„ tes intrare prohibuiſtis. Via igitur apparens, qua oporteat verſari in ſcripturis, ac earum ſenſum percipere, huiuſmodi eſt, ſicut ab ipſis oraculis exquiritur: *Prou. 22.* Apud Salomonem in Prouerbiis inuenimus tale aliquid iuſſum deſcriptis di„ uinis dogmatibus. Et tu (inquit) deſcribe tibi hæc tripliciter in conſilio & ſcientia & vt reſpondeas verbis veritatis his, qui propoſuerunt tibi. Tripliciter igitur deſcribere oportet in ſuo animo ſanctarum ſententiarum ſenſus, vt ſimplicior ædificetur à carne literę, vt ſic nominemus perceptionẽ & intelligentiã quæ e veſtigiò occurrũt: *Triplex ſcripturæ ſenſus.* qui autem altius aſcendit ab ipſius, vt dicam anima. Perfectus verò & ſimilis iis, de quibus dicit Apoſtolus, Sapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam autem non mundi huius, neque Principum huius ſeculi qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram: *1. Cor. 2.* Illi (inquam) ædificantur à lege ſpiritali, quæ vmbram habet futurorum bonorum. Nam quemadmodum homo conſtat corpore, animo, & ſpiritu, ſic etiam ſcriptura, quam Deus quadam diſpenſatione in hominum ſalutem dedit. Proinde nos quod dicitur in libro, qui inſcribitur Paſtor, & à nonnullis contemnitur, Hermæ imperatum eſſe, vt

D duos libros ſcriberet, ac poſtea denuntiarit presbyteris Eccleſiæ, quæ didicerat à Spiritu, ad hunc modum exponimus. Sic autem ad verbum legitur, duos libros ſcribes, dabiſque vnum Clementi, & alterum Graptæ. Ac Grapte quidem commonebit viduas & pupillos: Clemens autem mittet ad externas vrbes. Tu verò annuntiabis presbyteris Eccleſiæ. Si quidem Grapte, quæ deſtinatur commonefaciendis viduis & pupillis, deſignat puram literam, per quam admonentur animę pueriles, & qui nondum Deum patrem ſibi vẽdicare potuerunt, proptereáque pupilli nominantur. Item & animæ, quæ non amplius quidem iniquo ſponſo copulantur, ſed tamen viduæ permanent ex eo, quòd nondum dignę effectæ ſunt, vt cœleſti ſponſo iungantur. Clemens ſenſum illum detineat, qui recedit à litera. Ad externas vrbes dicitur mittere ea quæ dicuntur, hoc eſt, vt ſic explicemus, ad animas, quæ extra corporeas & terreſtres cogitationes verſantur. Iam non per literas, ſed per viuam vocem ipſe Spiritus ſancti diſcipulus iubetur annuntiare vniuerſæ Dei Eccleſiæ presbyteris, qui nẽpè cani ſunt prudentia. Verùm quoniam aliquæ ſcripturæ corpus nullo modo habent, vt in ſequentibus demonſtrabimus, alicubi duntaxat inueſtigatio eſſe debet animi & ſpiritus. Ideò fortaſſe cùm dicuntur pro purificatione Iudæorum ſex hydriæ poſitæ, vt quidem in Ioannis Euangelio legimus, capientes metretas binas & ternas, deſignantur qui apud Paulum in occulto ſunt Iudæi. *Ioan. 2.* *Rom. 2.* Nam ſanè illi purgantur per ſcripturas, aliquando quidem binas

E metretas capientes, id eſt, vt ſic dicam, per animæ & ſpiritus ſermones, aliquando ternas, cùm nonnullæ præter prædicta habeant etiam corpus quod ad ædificandum confert. Sex autem hydriæ conuenienter dictæ ſunt de iis qui in hoc mundo purificantur. Sex enim diebus (qui perfectus eſt numerus) mundum hunc & omnia quæ in eo ſunt, legimus abſoluta. Ex hac igitur prima perceptione quanta manat vtilitas, teſtatur eorum qui germanè & ſimpliciter credunt multitudo. *Allegoria.* Eius verò explicationis, quæ velut ad animam refertur, exemplum ponitur apud Paulum in priore ad Corinthios Scriptum eſt enim (inquit) Non alligabis os boni trituranti: quem locum deinde exponens, infert, Nunquid boum cura eſt Deo? An propter nos omninò dicit? Propter nos enim ſcriptum eſt, Quia debet qui arat, in ſpe arare, & qui triturat in ſpe percipiendi. *1. Cor. 6.* Ac plurimæ ſanè paſſim occurrentes, multitudinique congruentes interpretationes, quæ eos ædificant, qui altiora percipere nequeunt, eandem habent formam. Spiritalis autem enarratio in eo eſt, qui poteſt oſtendere, quorum cœleſtium exemplari & vmbræ deſeruiunt hi, qui ſecundum carnem Iudæi ſunt, & quorum futurorum bonorum vmbram lex habet. Ac, vt ſummatim dicam, in omnibus ſecundum Apoſtolicam denũtiationem quęrenda eſt ſapientia in myſteriò abſcondita, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in iuſtorum gloriam, quam nullus *Anagoge.*

F Principum ſeculi eius cognouit. Pręterea ait alicubi Apoſtolus, quædam dicta Exodi & Numerorum vſurpans, Hæc in figura contingebant illis: ſcripta autem ſunt propter nos, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Deinde occaſionem præbens percipiendi, quorum nam illa figurę eſſent, ſubiicit, Bibebant ex conſequente petra. Petra autem erat Chriſtus. *Heb. 10.* Sed & in alia epiſtola, ea quę ſpectabant ad tabernaculum declinans, hoc vſus eſt teſtimonio, facies omnia ſecundum formam tibi in monte demonſtratam. *Exod. 25* Pręterea in epiſtola ad Galatas, veluti probro afficiens eos, qui cùm cenſeant ſe legere legem, non intelligunt, adhęc legis intelligentię ignaros eos eſſe iudicans, qui non putant allegorias verſari in his quę dicta ſunt: dicite mihi (inquit) qui ſub lege vultis eſſe, legem non auditis. *Gal. 4.* Scriptum eſt enim, quia Abraham duos filios habuit, vnum ex ancilla, alterum è libera. Sed qui de ancilla, natus eſt, ſecũdum carnem natus eſt: qui è libera, per promiſſionem: quę ſunt per allegoriam dicta. hęc enim duo ſunt teſtamenta. &c. Obſeruanda quippè ſunt ſingula eorum, quę ab ipſo commemorantur. Qui ſub legem, in-

G quit, vultis esse:non item, Qui sub lege estis, legem non auditis? id est,non intelligitis & cognoscitis? Et in epistola ad Colossenses breuiter sensum totius legis perstringés,
Col.2. „ Nemo (inquit) vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte
„ festi,aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra
„ futurorum. Præterea in epistola ad Hebræos de circum-
„ cisis differens,scribit: Qui exemplari & vmbræ deseruiũt
Heb.8. cœlestium. Sed has ob causas fortasse de quinque libris mosis minimè videtur dubitandum iis qui semel Apostolum vt diuinum hominem receperunt. Iam de reliqua historia,illáne etiam figuraliter contigerit, considerandum
Rom.11. imprimis illud epistolæ ad Romanos, Reliqui mihi septẽ
3.Reg.19 millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal, è
„ Regnorum tertio, quod Paulus sumpsit pro Israëlitis qui
„ sunt secundũ electionem:vt ostenderet non solùm gentes vtilitatem è Christi aduentu percipere, verumetiam aliquos Israëlitici diuiníque generis. His sic cõstitutis,adumbtandæ sunt quæ nobis videntur intelligendarum scriptu-
Ioan.1. rarum formæ, & primum illud assumendum, Spiritum sanctum prouidentia Dei per verbum quod erat in principio apud Deum,ministros veritatis,Prophetas & Apostolos illuminantem, præcipuè respexisse ad arcana mysteria earum rerum,quæ inter homines geruntur. Nunc autem homines voco,animas in corporibus positas,vt qui potest dũ doceri expetit, & se profũditatibus sensuum per voces
H tradit,socius scientiæ spiritus, & diuini consilij particeps fiat. Quia autem animę non possunt aliter ad scientię perfectionem venire, nisi locuples & sapiens de Deo fuerit inspirata veritas,quæ ad deum pertinẽt,necessariò vt principalia ptimo loco explicantur: deinde vnigeniti sacramẽta,qualis sit naturæ quo pacto filius sit Dei,qua de causa in carnem humanam sese demiserit, & omninò hominem assumpserit,quæ nam horum vis & actio, in quos & quando facta. Prætereà necessariò quæ sunt de cognatis aliis rebus rationalibus,siue sint diuiniores, siue exciderint à beatitudine,item & lapsus earum, causas earum, consequens est reuocare ad diuinę doctrinę rationes. Sed & differentiam animarum, & vnde istæ differentiæ ortæ sint, tum deinde quid sit hic mundus, & quare factus, vnde malum tantum ac tale in terris,& an non tantùm in terris, sed etiam alibi,discere est necessarium. Post hæc secundo loco Spiritus animos sanctorum veritatis ministtorum illustrans, proptet eos qui nequeunt multum in mysteriis huiusmodi inuestigandis laborare, sub nudæ & simplicis narrationis inuolucto,prędictorum rationes occultate instituit. Vnde & simpliciter exponuntur sensibilia Dei opera,& hominum opificium, eorúmque generatio, qui ex primis per successionem multiplicatione indiuiduorum extiterunt. Idem fit in aliis historiis, quæ iustorum actiones narrant simpliciter, & eorumdem ipsorum interdum perpetrata peccata: quemadmodum & iniquorum & im-
I piorum hominum prauas,intemperátes, auatásque actiones. Ac quod omnium maximè mirum est,narratione prę-liorum, tam in vincentibus quam in victis, multa arcana iis qui petuestigate possunt, declatãtur: quódque admirabilus est,scripta lege ipsæ veritatis regulæ propheticè describuntur, omnibus his ordine & diuina quadam arte sapientiæ delineatis: quæ singula diuina quadam arte sapiẽtiæ,velut indumentum quoddam spiritalium sensuum tecta sunt. Et hoc est quod diximus, scriptutæ corpus quod sapientiæ arte contextum potest complures ædificare, & meliores efficere. Sed quoniam si omnibus literæ fuisset consequentia custodita & ordo seruatus, habentes continuatum intelligentiæ cursum,non vtique crederemus esse aliquid in scripturis sanctis intrinsecus,pręter id quod prima fronte indicabatur inclusum: ista de causa procurauit Dei verbum offendicula quædam vel intercapedines intelligentiæ fieri historicæ, impossibilia quædam per medium inserendo: vt interruptio ipsa narrationis,velut obicibus quibusdam obiectis legẽti resistat, quibus intelligentiæ huius vulgaris iter ac transitum neget,& extrusos nos atque exclusos reuocet ad alterius viæ initiũ, vt ita celsioris cuiusdam & eminentioris tramitis, per angusti callis ingressum, immensam diuinæ sapientiæ latitu- K dinem pandat. Oportet autem etiã istud intelligere, quòd cùm præcipuus sit scopus intelligentię spiritalis consequentiam custodire in his quę geri debent,vel quę iam gesta sunt,sicubi quidem conuenerunt ea,quę secundum historiam gesta sunt, vno narrationis sermone composuit, altius semper arcanum sensum recondens: Vbi autem spiritali consequentię rerum gestarum historia conuenire nõ poterat,interdũ inseruit quędam vel minus gesta, vel quę omninò geri nõ possent, interdum etiam quę possent quidem geri, nec tamen gesta sunt. Et nõnunquam paucis dictionibus,quę secundum corporalem intelligentiam non videntur posse seruare veritatem,interdum multis insertis, hoc facit. Quod præcipuè in legislatione vsũuenire inuenitur,in qua multa sunt, quæ ad tempora legis congruentia manifestam habent vtilitatem: aliquanta tamen sunt, in quibus nulla ratio vtilitatis ostenditur, interdum verò & impossibilia constituuntur propter eos, qui pollent discutrendi & peruestigandi facultate,vt subtilitati inquisitionis literæ seipsos ttadentes, Deo dignum sensum consequantur. Non solùm autem de iis, quæ vsque ad aduentum Christi sunt, hæc Spiritus sanctus procurauit, sed vt potè vnus atque idem Spiritus,& ab vno Deo procedens, eadem simul in Euangelistis & Apostolis fecit. Nam ne illas quidem narrationes,quas per eos inspirauit, absq; hu- L iusmodi sapientia siue arte contexuit. Vnde etiam nõ parua permiscuit,quibus historicus narrandi ordo interpolatus vel intercisus, per impossibilitatem sui reflecteret mẽtem legentis ad intelligentiæ inferioris examen. Quis igitur mentis compos existimabit primam, & secundam, & tertiam diem,vesperum & manè extitisse sine sole,luna,& sideribus? Et verò primum diem sine cœlo? Quis etiam a- Genes. 1. deò infans, vt putet humano veluti agricolarum more Deum Paradisi arbores plantasse in Eden ad orientem,ar- Origenizat. borémque vitę in ipso produxisse visibilem, & sensibus patentem, ita vt corporalibus dentibus manducans quis ex ea arbore vitam percipiat, & rursus ex alia manducans arbore, boni & mali scientiam capiat? Sed & illud,quòd Genes.2. post meridem Deus deambulare dicitur in Paradiso,& Adam occultari sub arbore,equidem nullum arbitror dubitare figurali tropo hęc à scriptura proferri, quò per hęc quędam mysteria designentur. Cain verò exiens à facie Genes. 4. Dei,manifestè lectorem monet,vt requirat quę facies Dei sit,& quo pacto quis exire possit ab ea. Verùm quid attinet plura dicere, cùm sit perfacile omni qui non planè sit hebes,congtegare sexcenta talia de scripturis sanctis scripta quidem,tanquam facta,nec tamen facta secundum literam. Hęc verò scripturę species etiam in Euangelicis libris affatim crebróque signatur: Cùm in excelsum mon- Matt.4. tem Iesum imposuisse diabolus dicitur, vt ei inde vniuer- M sa mundi regna monstraret, & gloriam eorum. Quid secundum literam quomodo fieri potuisse videbitur, vt vel in excelsum montem educeretut à diabolo,vel etiam carnalibus oculis eius tanquam subiecta & adiacentia vni monti,omnia mundi ostenderet regna,id est,Persarum regnum,Scytharum,Indorum, Parthorum, & quomodo etiam reges ipsorum glorificantur ab hominibus? Sed & alia quamplurima his similia in Euangeliis inueniet, quicunque attentius obseruauerit, in quorum narrationibus aduertet multa inserta esse,quę historia quidem non recipiat,spiritalis autem teneat intellectus. Vt autem ad legẽ Mosis reuertamur,multę leges si per se obseruentur,absurditatem pręferunt, alię impossibilitatem: Absurditatem quidem, vt dum vultúres edi prohibentur, cùm nullus etiam in maxima fame præ inedia adigi ad istud possit, aut soleat: & dum præcipitur exterminari quidem omne masculinum,quod non fuerit die octaua circuncisum, quod Genes.17 valde est dissentaneum, cùm oporteret, si lex secundum historiam seruanda tradebatur, iuberi vt parentes punirentur qui filios suos non circunciderunt, aut hi apud quos paruuli nutriuntur. Nunc autem dicit scriptura, Omnis masculus incircumcisus, qui nõ circunciderur die octauo, exterminabitur de genere suo. Si verò etiam de impossi-

A impossibilibus legis inspiciendum est, reperiemus Tragelaphum esse animal, quod subsistere omninò non possit, quem veluti mundum animal edere nos iubet Moses. Sic Griphen, quem manducari prohibet legislator, nullus vnquam narrauit humanis manibus subiici. Sed & de celebrato Sabbato accuratè inspicienti sic dicit, Sedebitis vnusquisque in domibus vestris, nullus mouebitur de loco suo die septimo. quod certè obseruare impossibile est secundum literam. Nullum enim animal potest toto die ita sedere, quin aliquo modo in loco, in quo sederit, moueatur. Proinde hi quidem, qui è circumcisione sunt, & quicunque in scripturis nihil amplius litera volunt intelligi, hæc ne quidem requirenda arbitrātur de Tragelapho, & Griphe, & Vulture: fabulas autem quasdam inanes & friuolas commentantur, & prolatis frigidis quibusdam traditionibus de Sabbato dicunt, vnicuique locum suum reputari bis mille cubitos. Aliorum verò sentētia, ex quibus est Dositheus Samaritanus, damnata huiusmodi expositione, vnusquisque quo habitu & positione die Sabbati fuerit inuentus, ita vsque ad vesperam debet permanere. Sed & quod dicitur, Non leuandum onus die Sabbati, impossibile mihi videtur. Ex his enim ad infinitas fabulas Iudæorum doctores deuoluti sunt, dicentes esse quidem onus hunc calceum, non autem illum. *Ierem.17*

D Verbi gratia, non reputari onus, si calceos quis habeat sine clauis: onus verò esse, si calceos cum clauis habuerit. Et si quidem supra vnum humerum aliquid portauerit, onus indicant, non autem si supra vtrumque portauerit. Iam verò si etiam de Euangeliis similia requiramus, quid videbitur absurdius, quàm Neminē in via salutaueritis: quod *Matt.10.* putant simplices Saluatorem præcepisse Apostolis. Sed & illud quomodo non videtur incredibile, quòd in dexteram quis maxillam percussus, præbere etiam iubetur sinistram, *Matt.5.* nisi sanè patiatur aliquid præter naturam: cùm omnis qui percutit dextra manu, sinistram percutiat maxillam? Sed & illud in impossibilibus habendum, quod in Euangelio scriptum est, vt si oculus dexter scandalizauerit te, eruatur: quoniam etiam si ponamus aliquem cernendo posse scandalizari, quo pacto duobus oculis cernentibus, ad vnū dexterum, scandali culpa refertur? Præterea quis damnans seipsum in eo, quòd conspexerit mulierem ad concupiscēdum eam, reiiciens culpam omnem in vnum oculum dex- *1.Cor.7.* trum, meritò eum eruerit? Atqui (inquies) Apostolus decernit, dicens, Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium Primùm quidem, qui voluerit Apostolum ista dixisse præter sententiam propositam, intelliget, quomodo enim de nuptiis & castitate præcipiens, non videbi- C tur ista temerè inseruisse? Deinde quis eum affirmabit iniquè agere, qui vitandæ obscœnitatis causa, vulgi opinione ex circumcisione contracta, tradit seipsum ad reuocādum præputium? Hæc verò à nobis omnia dicta sunt, vt ostendamus diuinæ potentię sacrarum literarum largitricis scopum fuisse, non ea sola quæ nuda locutione proponuntur, explicare (sunt enim illa interdum falsa iuxta literam, immò etiam abhorrent à ratione, neque fieri possunt, sed prętereà quędam ad rei gestæ narrationem esse attexta, quæ interiùs considerata & intellecta, vtilem hominibus & Deo dignam legem proferunt. Ne quis autem suspicetur nos reiicere omnem scripturæ historiam, quasi non factā, quoniam eius aliqua non facta esse sentimus, nullámque legislationem secundum verba esse seruandam, quoniam eius quædam iuxta literam absurda videantur & impossibilia, aut quæ de Saluatore scripta sunt, sensibiliter non esse vera, legémque & præcepta ipsius secundum literā non debere seruari: respondemus à nobis euidenter in quamplurimis seruari historiæ veritatem: vt Abraham in spelunca duplici sepultum esse re vera in Hebron, & Isaac & Iacob, & eorum singulorum vxores: Sichemam Iosepho in portionem verè esse attributam: Hierusalem verè fuisse metropolim Iudęę, in qua ædificatum sit à Salomone templum Dei: & alia infinita. Multò enim plura sunt, quæ secundum historiam verum habent intellectum, quàm quæ nudum sensum continent spiritalem. Deinde quis non affirmet mandatum hoc, Honora patrem & matrē, vt benè B sit tibi, etiam sine vlla spiritali interpretatione esse vtile, *Exod.20.* atque seruandum? maximè cùm & Paulus iisdem verbis repetiuerit. Quid attinet dicere de cæteris, non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimoniū dices? *Ephes.5.* Præterea in Euangelio præcepta ponuntur, de quibus non est quærendum, debeántne seruari secundum literam nécne, quale est illud, Ego autem dico vobis, quicunque iratus fuerit fratri suo, &c. Item, Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Et apud Apostolum, Commonete *Matt.5.* inquietos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patientes estote ad omnes: & alia quamplurima. Veruntamen si quis attentius legat, in quibusdam ambiget, vtrum *1.Thes.5.* illa vel illa historia putetur vera secundum literam, an minus vera, & illud vel illud pręceptum vtrum secundum literam obseruandum sit, nécne. Quocirca eum, qui incidit in diuinas literas, oportet seruare Saluatoris hoc iussum, *Ioan.5.* Scrutamini scripturas, studioséque explorare, vbi pręceptū secundum literam sit verum, vbi impossibile, & diligenter vestigare è similibus vocibus intelligentiam eius, quod secundum literam, quæ vbique per totam scripturam spargitur, est impossibile. Quoniam autem, vt perspicuum erit legentibus, impossibilis quidem est perpetua secundum E scripti literam consequentia, non impossibilis autem, sed verus principalis scripturæ contextus, sententiæ diuinæ *Locus in Græco corruptus.* studiosus spiritales enuntiationes iuxta literam impossibiles, cum enuntiationibus non modò nihil habentibus impossibile, verumetiam veris, iuxta historiam & vtrarumque allegorias, inter se debet coniungere & comparare. Posuimus enim omnes omnium scripturarū locos sensum habere spiritualem, non omnes autem sensum habere corporalem. Multis enim in locis quod corporale est & externum, impossibile cōuincitur. Quapropter multo studio ac labore nitendum est, quatenus vnusquisque legentium cum omni reuerentia intelligat se diuina, non humana verba tractare, quæ sanctis libris inserta sunt: quorū intelligentiæ characterem huiusmodi esse arbitramur. Gentem quādam prædicant super terras diuinæ literæ electam esse à Deo, quam appellant plurimis nominibus. Interdum enim vniuersa hęc gens Israël dicitur: interdum Iacob: & maximè cùm diuisa est gens à Ieroboam filio Nabab, decē tribus quæ sub eo factæ sunt, appellatæ sunt Israël: aliæ verò duæ, & Leuitica tribus, quæ seminis Dauid imperio paruerunt, Iuda. Vniuersa autem loca, quæ habebat gens ista, quæque à Deo acceperat, Iudæa dicebantur, cuius metropolis Hierusalem, quasi plurimarū vrbium mater, quarum nomina in aliis quidem libris sparsim frequenter inuenies, simul autem in vnum contexta in libro Iesu Naue F continentur. Cùm ergo hæc ita se habeant, eleuans quodammodo ex terra, & erigens intelligentiam nostram A- *1.Cor. 1* postolus, quodam loco ait, Videte Israël secundum carnē: velut significans alium esse Israël, qui sit secundum spiritum. Et iterum alio loco dicit, Non enim filij carnis hi filij sunt Dei, sed neque omnes qui ex Israël sunt, hi Israëlitę. *Rom. 11* Sed neque qui in manifesto est Iudæus neque quæ in manifesto est circumcisio, verùm qui in occulto Iudæus, & circumcisio cordis in spiritu, non litera. *Rom.2.*

Si enim iudicium Iudæi ex occulto sumitur, intelligendum est, quemadmodum Iudæorum corporale est genus, sic Iudæorum occultorum & aliquam esse gentem, anima ipsa nobilitatem istam quibusdam arcanis rationibus possidente. Sed & plurimæ Prophetię de Israel & Iuda vaticinantur, & exponunt res ipsis euenturas. Numquid autē cautæ ipsis in scriptura factæ promissiones, quæ iuxta literam sunt humiles, nec Dei pollicitationibus dignæ, opus habent mystica anagoge? Si ergo promissiones intellectuales sunt, per sensibilia spiritalia pollicentes, etiam hi, quibus promissiones factæ sint, non sunt corporales. Verùm ne in re omnibus nota immemoremur, de occulto Iudæo, & interiore Israëlita, ad institutū reuertamur. Igitur dicimus Iacob patrē esse duodecim Patriarcharū, ac illos primorū plebis, rursúmq; hos Israëlitarū, qui deinceps extiterūt. Si igitur corporales quidē Israëlitæ, reducuntur ad pri-

G mores plebis, primores plebis ad Patriarchas, Patriarchę
ad Iacob, & eos qui adhuc fuêre superiores: intellectuales
Israëlitæ, quos designabant corporales, nónne è populis,
& populi è tribubus, & tribus ab vno aliquo ortum non
iam coporalem habente, sed meliorem, prouenient: Et hic
ex Isaac descendet, & rursum Isaac ex Abraham, sicque cō-
sequenter, donec referantur omnes ad Adam, quem Apo-
stolus ait esse Christum. Omne enim principium familia-
rum, quę ad Deum vniuersorum referuntur, posterioribus
spiritibus à Christo cœpit, qui secundo loco nominatur
post vniuersorum Deum & patrem: sic omnis animæ con-
ditorem, ac Adam pater est omnium corporum. Quòd si
etiam Eua parit, quæ Ecclesiæ ab Apostolo comparatur,
non mirum est, cùm Cain ex Eua nascatur, & omnes dein-
ceps relati similiter ad ipsam Euam, effigies sint Ecclesiæ, à
qua omnes præcipua quadam & singulari ratione gene-
rantur. Etsi autem hæc, quæ de Israël & tribubus & popu-
Matt. 15 lis dicta sunt, nos percellant, cùm dicat Saluator, Quia nō
„ sum missus nisi ad oues domus Israel, non ita tamen acci-
pimus, sicut pauperes spiritu Ebionei, qui etiam ipso no-
mine pauperes appellantur, vt ad carnales Israelitas præ-
cipuè Christum aduenisse existimemus. Nō enim filij car-
Gal. 4. nis hi sunt filij Dei. Rursus Apostolus de Hierusalem talia
„ quædam docet, Quia quæ sursum est Hierusalem, libera
„ est, quæ est mater nostra. Et in alia epistola, Sed accessistis
„ ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem
„ cœlestem, multitudinē Angelorum collaudantium, & ec-
Heb. 12. clesiam primitiuorum, qui scripti sunt in cœlis. Si ergo est
H in anima omni genere Israel, & in cœlo ciuitas aliqua, quę
Hierusalem nominatur, consequens est, vt hæ ciuitates,
quæ gentis Israeliticę dicuntur, metropolim habeant Hie-
rusalem cœlestem. Quæcunque igitur prophetantur de
Hierusalem, & de ea narrantur, si Pauli verba, quasi Dei in
eo sapientiam loquentis audimus, de illa certè ciuitate,
quam appellat Hierusalem cœlestem, & de omnibus locis
vel vrbibus, quæ terræ sanctæ vrbes esse dicuntur, accipe-
re debemus. Nam ex ipsis fortassè ciuitatibus Saluator nos
ad altiorem erigens intellectum, tribuit iis qui benè com-
missam sibi pecuniam dispensarunt, præfecturam quinque
aut decem ciuitatum. Si ergo Prophetiæ, quæ de Iudæa,
Hierusalem, Iuda, Israel, Iacob prophetatæ sunt, dum non
à nobis carnaliter intelligūtur, mysteria quædā talia signi-
ficant, consequēs etiā est illas Prophetias, quæ de Ægypto,
Ægyptiis, Babylonia, Babyloniis, Sidone, Sidoniis, Tyro,
Tyriis, & reliquis gētibus prolatæ sunt, nō solū de corpo-
ribus & terrenis his Ægyptiis & Babyloniis, & Sidoniis &
Tyriis intelligi prophetatas, verumetiam de spiritualibus.
Si enim sunt Israelitæ spirituales, sequitur etiam Ægyptios
& Babylonios esse spirituales. Neque enim ea quæ Eze-
Ezec. 27 chiel prophetauit de Pharaone rege Ægypti, conuenire a-
I licui hominum possunt, qui regnasse videatur in Aegypto,
sicut manifestè exitus ipse indicat lectionis. Similiter ea
quæ de Principe Tyri dicuntur, non possunt intelligi de a-
liquo homine, qui Tyri principatum tenuerit. Nec ea quæ
de Nabugodonozor multis locis commemorātur, & ma-
ximè in Esaia, possunt accipi de illo homine. Neque enim
Esa. 14. cecidit è cœlo, néque Lucifer erat, neque manè oriebatur
super terrā Nabugodonozor homo. Sed nec quę produ̅tur
in Ezechiele de Aegypto, velut quadraginta annis exter-
minanda, ita vt pes hominis non inueniatur in ea, & sic
expugnanda, vt per omnem terram eius humanus san-
guis vsque ad genua exaltetur, nescio an aliquis men-
tem habens, hoc de Aegypto terrena, quæ Aethiopibus æ-
stu solis colorem atrum toto corpore contrahentibus ad-
iacet, possit accipere.

Et post alia.

FORTASSIS autem, quemadmodum hi qui de hoc
mundo morte discedunt, ex his quæ hic egerunt, prout
digni fuerint iudicati, loco qui infernus appellatur, locos
differentes consequuntur pro ratione peccatorum, ita etiā
Caue. ex illis locis, vt sic dicam, morientes, in infernum hunc de-
scendunt, digni iudicati, vt in differentibus totius terre- K
stris loci mansionibus siue melioribus siue deterioribus,
& apud illos vel illius loci patres, nascantur, ita vt aliquā-
do contingat Israelitam in Scythiam descendere, & Aegy-
ptium in Iudæam. Veruntamen quoniam Saluator noster
congregatum venit oues, quæ perierunt domus Israel, cùm
plurimi ex Israelitis non acquieuissent doctrinæ eius, hi
qui ex gentibus erant, vocati sunt. Latent autem, vt arbi-
tramur, in historiis hæc. Nam regnum cœlorum simile est *Matt.* 13
thesauro abscondito in agro, quem cùm inuenerit homo,
abscondit, & præ gaudio illius vadit, & omnia quę habet,
vendit, & emit agrum illum. In quo dilucidius considera,
an non solum ipsum & superficies scripturæ, ager sit re-
pletus plantis omnium generum: ille verò altior & pro-
fundus spiritalis sensus, qui non patet omnibus, sed defos-
sus est subter plantas quæ conspiciuntur, ipsi sint thesauri
sapientiæ & sciētiæ absconditi, quos Spiritus sanctus per
Esaiam tenebrosos & inuisibiles & absconditos thesauros
vocat, quorum portas æreas, quibus clausi sunt & abscon-
diti, solus Deus possit confringere, & seras ferreas, vectés-
que comminuere, vt cuncta inueniantur quæ in Genesi de *Genes.* 4.
diuersis animorum generibus scripta sunt, & veluti de se- & 7.
minibus, quæ sunt propè Israel, vel longè. Sed & quæ sit
illa descensio in Aegyptum septuaginta animarum, quo-
modo illic fiant veluti sydera cœli in multitudine. Sed
quia non omnes qui ex ipsis erant, lumen sunt huius mun-
di (non enim omnes qui ex Israel, hi Israelitæ sunt) ex ipsis
septuaginta animabus fiunt aliqui etiam sicut arena, quæ
est ad oram maris, innumerabiles. Quemadmodum autem L
cuncta dei dona citra comparationem maiora sunt mor-
tali substantia, sic & accurata ratio sapientiæ, quam de istis
omnibus Deus habet, cuius dispēsatione hæc scripta sunt,
patre verbi annuente, erit in anima, quæ eximiè ad com-
prehensionem sapientiæ sese cum omni studio & consciē-
tia humanæ imbecillitatis purgauerit. Quòd si aliquis sei-
psum nimis temerarium præbuerit, non intelligens arca-
num diuinæ sapientiæ & verbi, quod fuit in principio a-
pud Deum, Deus & nesciens ista secundum verbum &
Deum & sapientiam quæ apud ipsum est, quærenda esse &
inuenienda, certè necesse est huiusmodi hominem ad fa-
bulas & nugas, & figmenta prolabentem, seipsum pericu-
lo impietatis subiicere. Quocirca recolendum est præce-
ptum Salomonis, qui in Ecclesiaste sic dicit, Ne festines *Eccles.* 5.
proferre sermonem ante faciem Dei. Quoniam Deus in «
cœlo est superiùs, tu autem inferiùs in terra. Proinde sint «
sermones tui pauci. Conuenit autem sacras literas credere
nullum habere apicem Dei sapientia vacuum. Nam qui
mihi homini præcepit, dicens, Non apparebis in conspe- *Deut.* 16.
ctu meo vacuus, multò minus ipse quicquam vacuum di- «
cet. E plenitudine enim ipsius accipientes Prophetæ M
loquuntur, & spirant vniuersa de plenitudine, nec
quicquam habetur in Prophetia, aut lege, aut Euan-
gelio, aut Apostolis, quod non sit de plenitudine.
Vnde quia sunt de plenitudine, spirant plenitudinem iis
qui habent oculos cernentes quæ sunt plenitudinis,
& aures audientes quæ fluunt de plenitudine, & sen-
sum odorantem eorum quæ manant è plenitudine fra-
grantiam. Si quando autem legens scripturam, offendas
in sententiam, quæ sit pulcher lapis offensionis, & petra
scandali, incusa teipsum. Itémque puta lapidem istiusmo-
di offensionis, & petram scandali eo sensu accipiendam, vt
quod dictum est, reipsa existat. Qui crediderit, non con-
fundetur. Crede primùm, & sub illo scandalo, vt putatur,
multam sanctam vtilitatem inuenies.

E Commentariis in Psalmum 50. in quibus præmissa allegoria, in parte historiæ de Vria sic infert.

QVOD si cui violentum videtur, partem qui- *Non ex-*
dem historiæ allegoricè interpretari, ipsam *tant hæc*
autem non æqualiter perpetuare, perspicuū est *commen-*
ista quidē dici temerè, alia autem in hunc locū *taria.*
esse inquirenda. Nā qui diligētius nō explorauerit quæ ad
locum

A locũ pertinent, reperiet omnia non constare, tã ea quæ dicũtur de homine interẽpto, quàm de ipsius qualicũque bonitate, qui noluit domi suæ versari & requiescere, quòd populus esset, & laboraret in castris. Nec verò satis mihi liquet, quo pacto refugientes istorum allegoriam, & existimantes verba propter se esse conscripta, voluntatem Spiritus sancti assequentur, qui hęc scribi voluit, quibus non tantùm intemperantia, verumetiam crudelitas & inhumanitas Dauidis reprehenditur, audentis in Vriam facinus à quolibet, qui vel mediocriter bonis moribus præditus fuerit, valdè alienum. Ego autem dixerim, quemadmodum iudicia domini magna & explicata difficillimã prębere videtur causam, vt imperitæ animæ interdum errent: sic etiam scripturæ ipsius magnæ, sensibúsque arcanis & mysticis, cõtemplatúque difficillimis plenæ, non facilè explicantur, sed causæ videntur, cur imperitę hominum aliena sentientium animę hallucinentur, inconsideratè & valdè temerè criminantium Deum ex scripturis quas non intelligunt, vt proinde in figmentum alterius Dei incidant. Tutò igitur retinebitur interpretatio cùm manifestæ orationis, tùm sapientiæ in mysterio absconditę, quam nullus principum huius seculi cognouit, secundum reuelationem mysterij temporibus ęternis taciti, manifestati autem Apostolis & eorum similibus, tam per scripturas Propheticas, quàm per Saluatoris nostri verbi, B quod in principio apud deum extitit, ad ipsos aduentum.

E secunda Homilia in Leuiticum, statim post principium.

Hæc non reperiuntur in vulgatis Homiliis Origenis in Leuiticũ.

HÆreticorum illi impiissimi & execratissimi, qui non intelligunt differentiam Iudaismi visibilis, & Iudaismi qui sola mente percipitur, id est, Iudaismi manifesti & occulti, statim cùm à Iudaismo, tùm à Deo qui dedit scripturas & vniuersam legẽ, distracti sunt, finxerúntque alterum deum ab illo, qui legem tradidit & Prophetas, pręterque eum qui fecit cœlũ & terram. Atqui res longè aliter habet: nempè qui dedit legem, dedit & Euangelium: qui fecit quæ cernuntur, dedit quę non cernuntur, habentibus cognationẽ inter se iis quę cernuntur & quæ non cernuntur. Sic autẽ inter se cognationem habent, vt quæ cernuntur dei opera, à creatura mundi ex effectis intellecta conspiciantur. Cognationem etiam habent legalia & Prophetica quæ cernuntur, cũ iis quę apud eosdem aspectũ fugiunt, sed intelligẽtia percipiuntur. Quo-niam igitur cõstat scriptura etiam ipsa, veluti è corpore quod cernitur, & animo qui in ipso intelligitur & concipitur, atque spiritu qui est secundum exemplaria, & vmbrã supercœlestium, age inuocãtes eum qui tribuit C scripturæ corpus & animum & spiritũ, corpus veteribus, animum nobis, spiritum iis qui in futuro seculo vitam æternam possidebunt, venturíque sunt in supercœlestia & vera legis exemplaria, in pręsens non literam, sed animum vestigemus. Quòd si idonei fuerimus, ascendemus etiam ad spiritum iuxta eorum rationem, quæ de sacrificiis lecta sunt.

Allusio ad cap. 9. Heb.

CLAVSAM ESSE ET OBSIGNATAM DIUINAM SCRIPTURAM.

CAP. II.

E tomo in primum Psalmum.

Neque hic tomus extat.

CLausas & obsignatas esse sacras scripturas diuina aiunt oracula, claue Dauidis, fortasse & sigillo, de quo dictum, Expressis signaculi sanctificatio domino, hoc est, virtute Dei qui ipsas tradidit, quæ quidem signaculo declaratur. Itaque de conclusione & obsignatione Ioannes edocet in Apocalypsi, dicens, Et Angelo Ecclesiæ quę est in Philadelphia, scribe: Hæc dicit Sanctus verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nullus claudet, qui claudit & nullus aperiet. D Noui tua opera. Ecce posui ante te portam apertam, ac eam nullus potest claudere. Et paulò pòst: Ac vidi in dextra sedentis super thronum librum scriptum & foris obsignatum sigillis septem. Vidíque Angelum alium fortem clamantem voce magna, Quis dignus est aperire librum, & soluere signacula eius? Nullus poterat, siue in cœlo, siue in terra, siue subter terram aperire librum, sed nec intueri ipsum. Et fleui, quòd nullus dignus reperiretur ad aperiendum neque intuendum librum. At vnus seniorum dixit mihi, Ne plora. Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, vt aperiat librum, & septem eius signacula. De sola obsignatione sic Esaias: Et vobis erunt hæc verba omnia, velut sermones libri huius obsignari, quem si dederint homini scienti literas, dicentes, Lege ista, respondebit, Non possum legere. Obsignatus enim est. Et dabitur hic liber in manu hominis ignorantis literas, qui cùm ei dicent, Lege ista, respondebit, Nescio literas. Hæc enim non modò de Apocalypsi & Esaia dicta esse existimandum est, verumetiam de vniuersa scriptura diuina citra controuersiam, quæ quidem apud eos qui possunt diuina oracula percipere, plena est ęnigmatis & parabolis, & obscuris sermonibus, aliísque variis obscuritatum formis humanę naturę ad concipiendum difficilibus. Quod declarare volens Saluator, claue veluti consistente apud Scribas & Pharisęos, minimè contendentes viam aperiendi inuenire, ait, E Vę vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientię, ipsi verò non ingredimini, & ingredientes non sinitis intrare. Et post pauca.

Apoc. 2. — *Apoc. 6.* — *Matth. 23*

Inchoaturi Psalmorum interpretationem, elegantissimam traditionem ab Hebræo nobis vniuersè de omni diuina scriptura proditam pręmittemus. Dicebat enim ille totam diuinitùs inspiratam scripturam esse similem propter* certitudinem quam habet, multis domiciliis vno ædificio conclusis atque comprehensis: Vnicuique autem domicilio adhiberi clauem conuenientem, sicque variari claues circa domicilia, quæ non congruant sigillatim seris quibus admouentur: Opus autem esse maximum distinguere claues, eásque adaptare domiciliis, quibus aperiendis sunt accommodatæ. Sic diuinas scripturas intelligi, quæ cùm sint obscuræ, non aliunde occasiones, vt intelligantur, accipiunt, quàm ex mutua aliarum cum aliis in se dispersam expositionem habentibus comparatione. Vnde etiam Apostolum huiusmodi intelligendarum scripturarum viam subiicientem dixisse arbitror, Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.

** ἀσφάλειαν.* — *1. Cor. 3.*

Et post pauca, comparans beatitudines singulariter propositas, beatitudinibus plurali numero vsurpatis, inquit, F Quòd si verba domini, verba casta, argentum ignitum, probatum, terra expurgatum septempliciter, cum omni accuratione ac studio exquisitè Spiritus sanctus ipsa per ministros verbi subiecit, ne quando nos fugiat analogia, secundum quam sapientia Dei in omnem diuinitùs inspiratam scripturam vsque ad quamlibet literam peruenit. Vnde & fortassis Saluator, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit ex lege, donec omnia fiant. Quemadmodum enim in mundi fabrica diuina ars non tantùm in cœlum, & solem, & lunam, & astra, per tota illa corpora permanasse cernitur, verumetiam super terram in materiã ignobiliorem: Neque enim ab opifice neglecta sunt minutissimorum animalium corpuscula, multóque minus animæ in ipsis positæ, quarum singulæ proprietatem aliquam in seipsis accipiunt, vt in bruto rationísque experte* salutare: neque germina, in quorum singulis radicibus, & foliis & fructibus, & qualitatibus differentibus, vis inest summi artificis: Sic existimamus de vniuersis, quę spiritus sancti instinctu scripta sunt. Tradit enim dei prouidentia sapientiam humana pręstantiorem ipsi hominum generi per huiusmodi literas, & verba salutaria aspergit, atque (vt sic dicã) sapientię vestigia, quantũ vnaquęq; litera ferre potest. Oportet igitur eum, qui semel admiserit scripturas illius

σωτήριον videtur mendum.

G eſſe qui mundum condidit, quæcunque de procreatis rebus, inquirenti earum rationem occurrunt, eadē etiam de ſcripturis cōfiteri. Sunt ſanè in rebus procreatis quædam, quæ ab humana natura difficilè, aut etiam minimè inueniuntur, nec tamen propterea accuſare fas eſt vniuerſorū opificem. Exempli cauſa, Non inuenimus cauſam cur baſiliſci producti ſint, aliique venenati ſerpentes. Hîc enim pium, eos qui ſentiunt noſtri generis imbecillitatem, & vident fieri non poſſe, vt comprehēdamus exactè diuini artificij rationes, referre ad Deum illorum notitiam, qui ea pòſt nobis, ſi digni iudicemur, patefaciet, quibus nunc piè & religioſe inſiſtimus. Sic igitur etiam in diuinis ſcripturis conſiderandum eſt, multa in illis verſari, nobis explicatu difficillima. Qui ergo, poſtquàm receſſerunt à mundi opifice, & acceſſerunt ad Deum à ſe confictum, ſe ſoluturos pollicentur dubitationes à nobis adductas, ſoluant, aut ſuæ conſcientiæ perſuadeant poſt eiuſmodi impietatis conatus requieſcere, prout congruit ipſorum hypotheſibus de quæſtionibus & dubitationibus adductis. Nam ſi etiā illic, poſtquam defecerunt à diuinitate, nihilo minus quæſtiones manent, quanto ſanctius erat ipſos permanere in Dei notitia, & cùm opifex è rebus procreatis perſpiciatur, nihil atheum & impium de Deo ſummo pronuntiare?

CVR XXII. LIBRI DIVInitus inſpirati,

H

CAP. III.

Ex eodem tomo in Pſalmum primum.

QVONIAM ſinguli numeri in numerorum ſuo loco vim quandam habent in rebus, qua vſus eſt vniuerſorum opifex ad productionnem partim vniuerſi, partim ſpeciei ſingulorum, attendendū eſt, & veſtigandū è ſcripturis, quæ ad illos & illorum ſingulos pertinent. Non igitur ignorandum Teſtamenti libros, vt Hebræi tradiderunt, eſſe viginti duos, quibus æqualis numerus elementorum apud ipſos vſurpatorum non abſurdè conuenit. Vt enim 22. elementa videntur eſſe introductio ad ſapientiam, & diuina documenta his characteribus expreſſa, & hominibus tradita, ſic 22. libri diuinitùs inſpirati ſunt elementum atque principium ſapientiæ Dei, & introducunt ad rerum notitiam.

DE SOLOECISMO, ET humili ſcripturæ phraſe.

CAP. IIII.

I

E quarto tomo Commentariorum in Ioannem, poſt tria principij folia.

Hæc non reperiuntur in tomis hodiè in Ioannē extantibus.

QVI diuidit apud ſe vocem, & ſignificata, & res de quibus ponuntur ſignificata, non impinget in vocum ſolœciſmum, quoniam certò reperiet res eſſe ſanas, de quibus inſtitutæ ſunt voces: Maximè cùm fateantur

1.Cor. 2. Sancti viri ſermonem & prædicationem ſuam non conſiſtere in perſuaſibilibus ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. Deinde prolato Euangelij ſolœciſmo ſubiicit, Vt non ignari Apoſtoli eorum, in quibus impingebant, & circa quæ minimè occupabantur, aiunt ſe idiotas eſſe ſermone, ſed non notitia. Exiſtimandum enim id non tantùm à Paulo, ſed etiam à reliquis Apoſtolis dici,

2.Cor. 4. Nos autem: item illud, Habemus autem theſaurum hunc
" in fictilibus vaſis, vt exuberantia virtutis Dei ſit, & non ex
" nobis accepimus. quaſi theſaurus dicatur, qui alibi the-
" ſaurus cognitionis & ſapientiæ abſconditæ: fictilia autem vaſa, humilis & contemnenda apud Græcos locutio ſcripturarum, qua verè exuperātia virtutis Dei declaratur. Potuerunt enim veritatis myſteria, & virtus dictorum minimè impedita per humilitatem locutionis, peruenire vſque K ad fines terræ, & ſubigere Chriſti verbo, non ſolùm ſtulta mundi, ſed interdum etiam quæ in eo ſapiunt. Cernimus enim uocationem, non quòd nullus ſapiēs ſecundum carnem, ſed quod non multi ſapientes ſecundum carnem. Sed & debitor eſt Paulus, denuntians Euangelium, non ſolùm barbaris tradere verbum, verumetiam Græcis: & non modo inſipientibus faciliùs conſentientibus, ſed & ſapientibus. Idoneus enim effectus eſt à Deo miniſter noui Teſtamenti, vſus oſtenſione ſpiritus & virtutis: vt credentium conſenſus non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Fortaſſis enim ſi elegantiam & ornatum elocutionis, vt quæ apud Græcos cadunt in admirationem, haberet ſcriptura, cogitaret aliquis non veritatem ſuperaſſe homines, ſed elucentem ſermonis contextum atque conſequentiam, & elocutionis ſpeciem atque formam, animos auditorum cepiſſe, ipſoſque deceptos occupaſſe.

QVODNAM SIT MVLTILOquium, & quinam multi libri. Item vniuerſam Scripturam diuinitus inſpiratam, vnum eſſe librum.

CAP. V.

L

E quinto tomo Commentariorum in Ioannem, in Proœmio.

Intercidit hoc Proœmium. Ambroſium innuit, ad quem vniuerſa ipſius propemodum commentaria extant.

QVONIAM non contentus præſens aſſumere diuinitus excitati monitoris munus erga nos etiam abſentes, vt multa tibi elaborem, meo in te officio poſtulas, ego laborem fugiens, & mihi periculum obiiciens eorum, qui Dei numine ſemetipſos ad ſcribendum in diuina oracula contulerunt, mihi ipſe in auxilium aduocarem Scripturam recuſans multos libros conficere. Ait enim in Eccleſiaſte Salomon, fili mi, caue cō-

Eccleſ.12 " ficere libros multos. Non eſt finis, & meditatio multa af-
" flictio carnis. Nos enim, niſi intellectum quendam reconditum, adhúcque nobis ignotum hæc propoſita habet locutio, planè præceptum tranſiliuimus, dum minimè cauimus multos libros conficere. Deinde vbi dixiſſet in pauca Euangelij dicta quatuor à ſe perfectos tomos ſubiicit,

Quantum colligere licet ex ipſa locutione, fili mi, caue conficere libros multos, duo declarantur: Vnum, non poſſidendos eſſe multos libros: alterum, non componendos multos. Quòd ſi prius omninò nō eſt poſterius, neque poſterius omninò prius, at vtraque ex parte videmur diſcere, libros plures minimè eſſe conficiendos. Poteram autem in eo, quod nunc incidit, hærens ad te mittere hoc dictum, veluti apologiam, & excuſationis meæ rationem, & negotiū perficiens, ex eo quod Sancti multorum librorum compo M ſitionibus non vacarunt, deſiſtere deinceps ab opere ſcriptorum quæ ad te tranſmittenda ſunt, pro fœderibus inter nos agitatis. Et fortaſſe offenſus dictionis humilitate, deinceps id nobis permiſiſſes: at quoniam ſcripturæ recta conſcientia ſcrutandæ ſunt, non temerè ab eo, qui earum ſibi tribuit intelligentiam, è tenui oratione exponendæ, cedo defenſione, quamuis mihi patrocinati videatur, qua cōtra me, ſi præter fœdera inſtituta facerem, vti poſſes. Ac primū quidē, quoniā dictis videtur cōſentire hiſtoria, cùm nemo ſanctorum plures Commentarios edidicit, multíſq; libris ſuam mentē expoſuerit, de hoc diſſerendum eſt. Qui autē me ad compluriū cōſcriptionē progreſſum accuſabit, Moſen virum tam inſignem dicet, quinq; duntaxat libros reliquiſſe: deinde enumerans Prophetas & Apoſtolos, pauca ſingulos, ac ne pauca quidē ſcripſiſſe ſubiiciet. Adhæc pati vertiginem mihi in tenebris volutato accidet, ne fortè tibi obtēperans, nō obtemperē Deo, neq; ſanctos æmuler. Si igitur nō fallor, mihi ipſi patrocinās, quòd te vehementer amem, & in nullo moleſtus eſſe velim, eiuſmodi ad iſta rationes reperio. In primis propoſuimus illud Eccleſiaſtis, fili mi, caue conficias libros multos. Cui viciſſim comparo eiuſdem Salomonis è Prouerbiis dictum, E multiloquio non effugies peccatum: parcens autē labiis, intelligēs eris. Et

Negantē primum partem probat.

A Et quæro, an qualiacunque dicere, sit multa dicere. Nam si ita est, & multa loquitur qui multa vtilia narrat, Salomon ipse non effugiet peccatum, dum locutus est tria parabolatũ millia, & Canticorũ quinque millia, & de lignis à cedro Libani vsque ad hyssopũ, quæ per parietẽ egreditur: prȩterea de iumentis, de volatilibus, de reptilibus, de piscibus. Quomodo enim possit aliquis hanc tractationem absoluere absque multiloquio simplicius considerato? cum & ipsa Sapientia perditis dicat, Extendi sermones, & non attendistis? Rursum Paulus videtur in docẽdo perseuerasse ab aurora vsque ad mediam noctem, cum & Eutychus somno oppressus decidens, auditores velut mortuus conturbauit. Si igitur verum, E multiloquio non effugi peccatum, itémque verum, non peccasse Salomonem multa de prædictis tractantem, neque Paulum vsque ad mediam noctem sermones producentem, inquirendum est quid sit multiloquium, ac inde ordine considerandum quinam sint multi libri. Nullum sane Dei verbum, quod in principio apud Deum, multiloquium dici debet. Non enim verba est, sed verbum vnum, constans pluribus theorematis, quorum vnumquodque pars est totius verbi. Similiter & libri externi, qui dicuntur cõtinere narrationem & commemorationem qualemcunque: siquidem vera differunt. Admirabilius dicam. Non vnum est ipsorum verbum, sed singula verba. Nusquam enim est vnitas, nusquam, quod ei consonat, etiam vnum: sed vnũ ex eo quod distrahitur, & pugnat, ab illis perit, & fiũt numeri, & quidem fortasse numeri infiniti. Itaque hac de causa dicimus eum, qui aliena & abhorrentia à pietate loquitur, multa loqui: qui autem fatur ad veritatem pertinentia, etiamsi dixerit omnia, nihilque prætereat, vnum loqui verbum. Nec multa loquuntur Sancti, quippè qui vnius verbi scopum tenent. Si igitur multiloquium è dogmatibus æstimatur, non è multarum dictionum commemoratione, inspice num sic possimus vniuersa sancta oracula vnum librum dicere, multos verò externa scripta. At quoniam testimonio mihi opus est è sacra scriptura, considera an istud mirificè valeam ostendere, dum officio Christum nostri similem effectum, non in vno scriptum esse libro: siquidem magis vniuersè biblia ipsa attendimus. Nam id scriptũ in Pentateucho, dicitur etiã in singulis Prophetis, & in psalmis, & omninò, vt air ipse Saluator, in cunctis scripturis: ad quas remittens nos, inquit, Scrutamini scripturas, quoniam videmini in ipsis vitam æternam habere, ac illę sunt
„ quæ testimonium perhibent de me. Si igitur remittit ad
„ scripturas veluti de se testantes, certè non ad hãc remittit,
„ ad illam non remittit, sed vniuersè ad omnes denũtiantes, quas in psalmis vocat Spiritus sanctus caput libri, his verbis: In capite libri scriptum est de me. Nam qui simpliciter
C vult accipere illud, In capite libri scriptum est de me, de certo quodam vno id complectente, afferat rationem, cur illum librum alteri præferat. Vt enim etiam arbitretur quispiam hoc dictum nos ad ipsum psalmorum librum reducere, respondendum oportuisse rum dici, In hoc libro scriptum est de me. Nunc verò dicit omnia vnum caput, vt verbum de ipso ad nos factum, ad vnum, velut ad caput vnicum referatur. Præterea quis etiam ille liber conspectus à Ioanne scriptus intus & foris, & sigillatus, quem nemo potuit legere, & signacula eius soluere, pręter Leonem de tribu Iuda, radicem Dauid, qui habet clauem Dauid, & aperit, & nullus claudet, & claudit & nullus aperiet. Vniuersa quippè scriptura repręsentatur per illum librum, intrinsecus quidem conscripta, propter promptũ ipsius intellectum, & perceptionem, altrinsecus verò à parte postica propter reconditum sensum & spiritualem.
Obiter præterea obseruandum, si fieri possit, demonstrari sancta oracula vnũ esse librum, profana autẽ scripta multos, propterea quòd in viuẽtibus vnus est liber, de quo deleantur qui ipso efficiuntur indigni, quemadmodum scriptum est, deleantur de libro viuentium: de iis autem qui iudicio subiiciuntur, libri feruntur multi. Ait enim Daniel, Iudicium sedit, & libri aperti sunt. De vnitate autem diuini libri etiam Moses testimonium perhibet, dum inquit,

Affirmãs pars. — Prouer. 8. — Act. 26. — Verbũ hic Dei essentiale ne intelligas, (expers enim partium est, tanquam Deus) sed verbum quod de ipso existit è variis contẽplationibus compositũ, quod etiã cum priore illo nomine cõmunicãs, in principio apud Deum fuisse dicitur. — Ioan. 5. — Psal. 39. — Apoc. 5. — Dan. 7. — Exod. 33.

Si dimiseris populo peccatum, dimitte: sin minus, dele me D de libro quem scripsisti. Ego etiam quod apud Esaiam est positum, sic accipio. Non enim proprium est Prophetię eius, verba libri esse sigillata, neque legi ab eo qui nescit literas, quòd nesciat literas, neque ab eo qui scit, quòd liber sit obsignatus, sed totum istud de vniuersa scriptura verè enuntiatur, vt quæ egeat verbo, quod clausit vt aperiat.* Ipse enim claudet, & nullus aperiet, ac vbi aperuerit, nullus iam dubitationem poterit ipsius declarationi afferre. Proinde subiicitur, aperiet, & nullus claudet. Similiter etiam illud Ezechielis de libro interpretor, in quo scripta erat lamentatio, & melos, & væ. Nam vniuersi libri complectuntur pereuntium væ, infælicitatémque, & saluorum atque fœliciter habentium melos, & eorum qui mediò quodam in statu versantur lamentationem. Quin & Ioannes deuorans vnum caput, in quo scripta erant quæ intus & foris, vniuersam scripturam intellexit, quę veluti vnus liber dulcissimus in principiis cousideratus, cum quis eam commanducat, amarus autem intelligentium conscientię, quam quisque de se proditam & patefactam videt & sentit. Ad huius demonstrationem addam dictum Apostolicum à Marcionitis minimè intellectum, qui proinde cõtemnunt Euangelia. Nam dum ait Apostolus, secundũ Euangelium meum in Christo Iesu, non autem, secundum Euangelia, isti insistentes aiunt Apostolũ singulari numero dixisse Euangelium, quasi non plura essent Euangelia; E non intelligentes, vt vnum est quod euangelizant plurimi, sic potestate & virtute vnum esse Euangelium à multis descriptum. Et quidem verè per quatuor vnũ est Euangeliũ. Si igitur hæc persuadere vos possunt, quid tandem sit vnus liber, & quid multi, nunc magis sum sollicitus, non quidẽ propter multitudinem eorum quæ scribuntur, sed propter virtutem eorum quæ intelliguntur, ne grauiter labar transgressione præcepti, si aliquid præter veritatem quasi veritatem exponam, etiãsi in vno id faciam scripto. Illic enim scribam libros multos. Et nunc verò cùm prætextu sciẽtiæ insurgant in Christi Ecclesiam alienæ opinionis homines, qui & multorum librorum cõpositiones circũferant, promittentes Euangelicarum & Apostolicarum ordinationũ explicationem, si taceamus, nec ipsis salutaria & vera dogmata exponamus, animarum lucernas obtinebunt, quæ alimenti salutaris inopia, ad vetitos accelerant, & verè impuros atque execratos cibos.

Quocirca necesse est, vt mihi videtur, eum qui potest intercedere pro ecclesiastico verbo sine corruptela, & conuincere qui sibi vendicant falsi nominis scientiam, sese sistere contra hæreticorum figmenta, & vicissim conferre euangelicæ prædicationis sublimitatem cum veteri Testamento quod vocatur comparatione Testamenti recentis. Ipsa igitur penuria denuntiantium meliora, minimè ferẽs F absurdam & priuatã fidem tua erga Iesum dilectione, tradideras aliquãdo te ipsum verbis, à quibus postea data tibi intelligentia vsus, prout decebat, damnata hæresi discessisti. Hæc autem cõmemoro, vt quatenus mihi videtur, patrociner iis qui dicendo & scribendo valent, & de me ipse rationem afferam, ne audacius memetipsum ad dicendum tradã, cùm illo non sim habitu, quo esse oportet eum, qui à Deo dignus noui Testamenti, non quidem literæ, sed spiritus minister efficitur.

*Esa. — * Ipse a[d] filiũ De[i] refertur qui inte[l]ligebatu[r] nomine verbi. — Ezech. — Medii status. — διατάξεων. — Locus non satis integer in Græco. — Ambrosius aliquando Marcionita.*

Sacram Scripturam vnum Dei esse instrumentum perfectum & accommodatum.

CAP. VI.

E 2. tomo in Matthęum, ad illud, Beati pacifici

Tomus iste intercidit.

HVIC autem vtroque modo pacifico nihil est in diuinis oraculis prauum & tortuosum. Omnia enim intelligentibus ante oculos ponuntur. Ac quoniam tali nihil est prauum neque tortuosum, idcircò multitudinem pacis cernit in vniuersis scripturis, etiam iis,

G quæ inter se pugnare & contradicere videntur. Fit autem tertius pacificus, qui aliis apparentem repugnantiam scripturarum, non esse repugnantiam docet, & exponit concordiam & pacem veterum cum nouis, aut Legalium cum Propheticis, aut Euangelicarum cum Euangelicis, aut Euangelicarum cum Apostolicis, aut Apostolicarum cum ipsismet Apostolicis. Etenim vniuersæ scripturæ secundum Ecclesiasten sunt sermones sapientum quasi stimuli, & quasi claui plantati: qui ex pacto dati sunt ab vno pastore, & nihil ex ipsis superuacaneum. Vnus autem pastor rationalium est verbum, quod speciem quidem habent repugnantiæ iis, qui auribus ad audiendum carent, at re vera maximè congruit & consonat. Nam vt differentes Psalterij vel Citharę fides, quarum vnaquæque proprium quendam sonum, qui & minimè videatur sono alterius consentiens, perficit, existimantur à Musicæ imperito, & ignorante musicę consonantię rationem, inter se discordare propter sonorum dissimilitudinem: sic qui nesciunt intelligere Dei in sacris scripturis conuenientiam, & cócinnitatem putant non cógruere veterem nouę, aut legi Prophetas, aut Euangelia inter se, aut Apostolum Euangelio, aut sibiipsi, aut aliis Apostolis. At in medium procedens peritus aliquis diuinę musicę, sapiens operibus & sermonibus, ideóque appellatus Dauid, qui interpretatur sufficiens siue idoneus, manu perficiet sonum diuinę musicę, ab
H ea discens opportunè pulsare fides, nunc legales, nunc cógruentes ipsis Euangelicas, modò Propheticas, modò cum ratio postulat, eiusdem cum ipsis toni Apostolicas, pręterea etiam Apostolicas Euangelicis consonantes. Nam nouit perfectum esse & accommodatum instrumentum Dei vniuersam scripturam vnam è diuersis sonis salutarem vocem discere cupientibus conficiens, sedantem & prohibétem omnem praui spiritus efficaciam, quemadmodū Musica Dauidis sedauit atque compescuit prauum spiritum, qui Saulem vexabat & suffocabat. Cernis igitur etiam tertio modo Pacificum eum, qui conuenienter scripturæ, eius vniuersæ pacem perspicit, & rectè inquirentibus atque ingenuè germanéque indicantibus conciliat,

Pacificus tertij modi. — *Eccles.12* — λόγος. — ὤν, non ὄν

DE PERSONARVM DIVINAE *scripturæ proprietate.*

CAP. VII.

Nō extat. — *E primo tomo in Canticum, quem adolescens scripserat.*

NON percipienti distinctionem personarum diuinæ scripturæ, cùm loquentium, tum auscultantium, oratio multam præbet confusionem, dum quærit quænā persona loquatur, quę nam audiat. Ac interdum persona lo-
I quens abiit, cùm sæpè altera, ad quā fit sermo, seruetur & retineatur, & alia ad eandem loquatur, aut contrà manet persona loqués, cum ea ad quam erat sermo, non amplius audiat, sed dictū tertia quædam excipiat. Interdum ambæ mutantur, tam loquens, quàm eloquium excipiés, aut si adhuc ambæ manent, non apertè videntur manere. Quid autem attinet exempla requirere singulorum, cùm Prophetę omninò istorum differentia sint pleni: quæ etiam causa est non vulgaris, cur obscuritas dictorum non sit distincta. De more præterea habet scriptura, celeriter transilire à tractatione vnius ad alterius tractationem: Et id obscurè atque confusè maximè Prophetæ faciunt.

Intercide-runt. — *Præterea è quarta Homilia in Acta Apostolorum.*

Act.1 „ OPortebat impleri scripturam, quam prędixit
„ Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda. In quo
„ Psalmo de Iuda scriptum est, inquiet aliquis, Non Spiritus sanctus loquitur? Perspicuè Sal-
Psal.68. uatoris verba sunt hæc, Deus laudem meam ne tacueris.
100. Quoniam os peccatoris & os dolosi super me apertum est, &c. Vsque ad, & episcopatum eius accipiat alter. Quo K
pacto igitur, si hęc dixit Saluator, ait Petrus, Oportebat „
impleri scripturam, quam prędixit Spiritus sanctus per os „
Dauid? Nonne igitur, quod hîc docemur, tale est? Personam assumi variam Spiritus sanctus apud Prophetas: ac si personam assumit Dei, non iam qui loquitur, Deus est, sed Spiritus sanctus sub persona Dei loquitur. Si personam assumit Christi, non est Christus qui loquitur, sed Spiritus sanctus Christi nomine loquitur. Sic si personam induat Prophetæ, aut populi huius, illius, aut quiduis aliud simulet, Spiritus sanctus est qui omnia ista alieno habitu efficit.

Dei nomine, Patrem intelligit.

NON TENTANDVM CORRIGERE *quæ videntur in Scriptura sapere solœcismum, nec seruare secundum scriptum cohærentem sententiam, cùm eam multum retineant apud eos qui intelligentia pollent.*

CAP. VIII.

E Commentariis in Osee. — *Nō extāt.*

QVONIAM quæ solœcismi forma dicuntur in scripturis, sua locutione lectorem confundunt, ita vt verba existimentur dicta neque rectè neque co- L
hęrenter, neque vt se res habet, scripta, vt & audeant aliqui emendationis obtentu immutare, transponentes insitam intelligentiam in ea, quæ videntur cohærétes scribi: necessariò etiam hîc, cùm tale quippiam accidat, quātum apparet è propositorum verborum contextu, latentem in ipsis mentem videamus. Pluraliter enim fatus, fleuerunt & orarunt me: quin & consequentia plurali numero enūtians, In domo inuenerunt me: mox vsurpat singularem, & ibi* locutus sum ad eum. Nam ad simplicem locutionem attendens, erratum esse arbitratus, aut extrema verba etiam pluraliter scribet, aut præcedentia in singularem transmutabit. Vbi enim legerit, fleuerunt & orarunt me, & in domo inuenerunt mę, affirmabit in sequentibus legendum, Et illic locutus sum ad eos: flentes scilicet & orantes, & domi Deum inuenientes. At ex obseruatione dictorum similium etiam istud dici consentaneè demonstrabimus. In Genesi Deus præceptum dans Adamo, sic inquit: de omni ligno paradisi in cibum comedes, de ligno autem notitiæ boni & mali non comedetis. Quacunque verò hora comederitis ex ipso, morte moriemini. Illic etiam orsus à singulari, dum dixit, de omni ligno Paradisi in cibum comedes, infert pluraliter, de ligno autem notitiæ boni & mali non comedetis: quacunque verò hora comederitis de ipso, morte M
moriemini. Nam de præcepto, per cuius obseruationem ipsum in vita conseruari velint, singulariter præcipit, & ait, de omni ligno paradisi in cibum comedes: quoniam qui secundum Deum ambulant, & mandatis eius insistūt, etiamsi multi sint hoc ipso quod consentiant, multi vnum sunt. Proinde cùm de bono præceptum datur, singulariter dicitur, in cibum comedes: at cùm de transgressione disceptatur, non iam singulariter, sed pluraliter, Non comedetis ex eo: quacunque verò hora comederitis, morte moriemini. Sic igitur etiam hîc. Quando flent & precantur ad Deum, plurali numero dicitur, fleuerunt, & orauerunt: quando autem Deum inueniunt, non adhuc pluraliter, illic locutus sum ad eos, sed ad eum. Iam enim vnum fiunt multi, cùm Deum inuenerunt, & verbū eius audiunt. Quippè vnus cum peccat, multitudinis rationé induit, abscissus à Deo & diuisus, atq; ab vnitate excidés. Multi auté mandata Dei sectantes, vnus sunt, quemadmodum etiā Apostolus testatur, dicens, Quoniā vnus panis & *1.Cor.10*
vnū corpus multi sumus. Rursum, vnus Deus & vnus Chri „
stus, & vna fides, & vnum baptisma. Et alibi, Quoniam *Ephes.4.*
omnes vnum sumus in Christo Iesu. Rursum, despódi enim „
vos omnes vni viro virginem castam exhibere domino. *1.Cor.*

Osee. — ** Locutus est, in Græco.* — *Gen.2.*

Ac sanè

A Ac sanè eos qui placent domino, vnum esse, è prece quam
Ioan. 17. Saluator habuit ad Patrem de suis discipulis, cernere licet.
Pater (inquit) sancte, da vt quemadmodum ego & tu vnũ
sumus, sic & ipsi in nobis vnum sint. Præterea cùm etiam
Sancti inter se membra dicantur esse, quid aliud nisi vnum
corpus sunt? Quinetiam in Pastore, fabrica turris, quæ
Liber Pastor appellatus. multis quidem lapidibus ædificatur, & vnius lapidis videtur ædificium, quid aliud declarat quàm multorum consonantiam & vnitatem?

QVAE RATIO, CVR SACRA Scriptura diuersis significatis idem nomen frequenter vsurpet, & eodem loco.

CAP. IX.

E tomo nono in Epistolam ad Romanos, in illud, Quid igitur lex, peccatum?

NON quemadmodum vnum est nomen lex, ita & vna ratione & significatione vbique in scriptura accipitur. Proinde vnoquoque in loco accurata & diligenti animaduersione opus est, vt quid isto loco significetur legis
B nomine, quid illo intelligatur. Idem iudicium de pluribus aliis. Nã homonymæ sunt etiam in scriptura plerǫque aliæ voces, quę mẽtem confundunt existimantium sic vnum esse significatũ, quemadmodum vnum est nomen, in quocunque tandem illud enuntietur. Quod autem legis nomen non de eodẽ, sed de pluribus constituatur, prętermissis multis apparatu etiam egentibus, & habentibus antypophoram solutione indigentem, exponamus quæcunque aliquo modo negotiũ possint facessere, veluti legis vocabulo in plutibus posito. Exẽpli gratia, cùm in epistola ad Galatas dicitur, Quicunq; enim sunt ex operibus legis, sunt sub maledictione.
Gal. 3. Scriptum enim, Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Perspicuè lex significatur, quæ secundum literam Mosis imperat
Lex vno modo quid facienda, prohibétque contraria iis qui ipsi subiiciuntur. Idem declaratur eadem epistola: Lex enim propter trans-
Gal. 3. gressionem posita est, donec veniret semen quod promissum erat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Et, Ita-
Ibidem. que lex pædagogus noster fuit ad Christum, vt ex fide iustificemur. Vbi autem venit fides, non iam sub pædagogo sumus. Omnes enim dei filij estis per fidem in Christo Iesu.
Lex altera, quid. Significatur etiã historia apud Mosem descripta legis nomine, quemadmodum ex eadem epistola licet percipere.
Gal. 4. Dicite mihi qui sub lege esse vultis, legem non audiuistis?
C Scriptum enim, quòd Abraham duos filios habuit, vnum ex ancilla, alterum è libera: sed qui erat ex ancilla, secundũ
Psalmi, lex. carnem natus est, qui autem è libera, per promissionẽ. Scio etiam Psalmos, legem nominatos, vt perspicuũ ex hoc Euãgelico, Vt impleatur sermo qui in lege ipsorum scriptus
Esaias, lex. est, quoniã odio habuerunt me gratis. Quin & Esaiæ Prophetia lex apud Apostolum pronuntiatur. In lege (inquit)
Rom. scriptum est, In altera lingua & labiis aliis loquar cũ hoc populo, & ne sic quidem me audient, dicit dominus. Nam reperi verba his æquipollentia in Akylæ interpretatione.
Lex, secretior doctrina. Dicitur etiam lex, secretior & diuinior legis perceptio, vt in illo Pauli, Scimus quia lex spiritualis est. Prętet hęc omnia dicitur lex, ratio secundum communes notiones insita
Rom. 7. animo, & vt loquitur scriptura, inscripta cordi, imperans
Lex, ratio quæ facienda sunt, prohibénsque contraria. Ac id quidem
Rom. 2. liquet è Pauli dicto. Cùm enim gẽtes, quæ legem non habent natura, quæ sunt legis, faciunt, ipsi legem non habentes, sibiipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium ipsis perhibente conscientia. Lex enim in cordibus scripta, & in ethnicis natura quæ sunt legis facientibus, non alia est à ratione, quã tenemus secundum communia sensa & notiones, mentibus nostris,

primariǫque animorum parti inscripta, quæ & fit cum ra- D
tionis perfectione quotidie planior & clarior. Hæc legis
significatio locum habet apud Paulum dicentem, Non im- *Rom. 7.*
putatur peccatum, cùm non est lex. Et, Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam ante legem, Mosis peccatum ipsi Cain imputatum est, & iis qui diluuio interierunt Itẽque Sodomitis & infinitis aliis: ac multi peccatum cognouerunt etiam ante Mosis legem. Nec mirare duabus notationibus vnum legis nomen eodem loco vsurpatum. Nam eiusmodi consuetudinem etiam in aliis scripturis reperiri licet. Verbi causa. Nónne vos dicitis, quia adhuc *Ioan. 4.*
quatuor sunt menses, & æstas venit? Eleuate oculos vestros, & contemplamini regiones, quoniam albæ iam sunt ad messem. Bis enim messis nominata, primùm quidem ad messem corporalem refertur, deinde verò ad spiritualem. Simile reperies in curatione cæci à natiuitate, cui dominus corporaliter cæcitate affecto inquit, In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui *Ioan. 4.*
vident, cæci fiant. Sic etiam nunc sine lege naturæ iustitia Dei manifestatur, at testimonium accipit à lege Mosis & Prophetis. Dixerim autem ad eos, qui duplicem significatum legis detrectant recipere, si eadem lex intelligitur, dum ait Paulus, Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestatur: & dum subiicit, Testimonium accipiens à lege & Prophetis: minimè à lege testimonium consequi. siquidem sine lege manifestatur, nec sine lege manifestari, E
siquidem à lege testimonium consequitur. Igitur iustitiam Dei manifestatam à Iesu Christo, minimè quidem testatur naturæ lex, quippe quæ sit minor, sed Mosis, non quidem litera, verùm spiritus, itémque respondentes legis spiritui Prophetæ, ipsorúmque spiritualis oratio. Quocirca diligenter obseruandum lectoribus sacrarum literarum scripturas non omninò de iisdem rebus easdem vsurpare dictiones, ídque partim ob homonymiam, partim ob tropologiam, interdum etiam propter elocutionis cohęrentiã, exigentem vt alia in his, alia in illis dictione vtamur. Hoc si accuratè obseruemus, multis erroribus & prauis perceptionibus nos liberabimus. Sciendum igitur videndi vocabulum, non semper de eodem enuntiari: sed modò de conspectu corporeo, modò de intelligentia. Tenendum enim istud vniuersè, quòd cùm propositum sit spiritui Prophetico, & Apostolico Christi verbo, occultare, nec apertè veritatis sensa prostituere, sæpè à phrasi confunditur, neque vna consequentiæ cohęrentia dicitur, ne etiam indigni in suæ animæ iudicium inueniant, quæ ipsis conuenienter occultata sunt. Atque id sæpè causa est, cur vniuersa scriptura non habere constructionem neque consequentiam & ordinem videatur, præsertim Prophetica & Apostolica, & inter Apostolicas præcipuè ad Romanos epistola, in qua quæ sunt legis differenter nominantur, & in diuersis rebus ponuntur. Itaque Paulus in epistolę contextu non videtur suum retinere propositum. F

DE HIS, QVAE IN SCRIPTVRA habere videntur aliquem lapidem offensionis & petram scandali.

CAP. X.

E 39. Homilia explanationum in Hieremiam, in illud, Non potuit Dominus facere.
Hodiè tãtum extant. 14.

SI quando legens scripturam, impingas cogitatione ad lapidem offensionis, & petram scandali incusa teipsum. Nam pro certo tene, lapidem hunc offensionis & petram scandali talem habere sensum, vt verum sit, quod dicitur, Qui crediderit, non confundetur. Crede primùm, & sub scandalo, quod appellatur, multam sanctam vtilitatem reperies. Si enim nobis prohibitum est dicere verbũ otiosum, velut daturis de ipso rationẽ iudicij die: si quãtum possumus, contẽdimus omnia verba ab ore
Lego in Græco πρὸς τὸν λίθον, pro οὕτινα λῶ λίθῳ.

G nostro procedentia, efficacia & actuosa reddere, tam in nobis loquentibus, quàm in ipsis audientibus, quid sentiendum de Prophetis? Nónne quoduis verbum ore ipsorum enunciatum esse efficax? Nec mirandum omnia ipsorum verba opus efficere verbo congruens, cùm etiam opinor, omnis admiranda litera in dei oraculis conscripta, suã habeat vim & efficaciam, nec sit vllum iota aut vllus apex scripturæ inscriptus, qui vti potestate literarum sciẽtibus, suum opus non præstet. Quemadmodum autem in herbis singulæ habent suas vires, siue ad valetudinem corporum, siue ad aliquid aliud, nec tamen omnium est scire, ad quam rem vnaquęque herba sit vtilis, sed eorũ duntaxat qui circa herbas versantur, adeò vt sciant quando sumpta, & quẽ ad locum corporis adhibita, & quo modo parata vtentibus prosit: Sic herbarius, vt sic dicam, sanctus & spiritualis colligit è sacris libris vnumquodque iota & quodlibet elementum, inuestigátque literæ potestatem, & quorsum singulæ valeant, nihil eorũ quæ delineata sunt, prætermittit. Quod si lubet ad id alterum exemplum accipere, singula nostri corporis membra ad aliquem vsum à deo opifice effecta sunt. At non omnium est scire quæ cuiusque membri vsque ad minutula sit vis atque vsus. Qui enim circa corporum dissecationes occupantur, illi ipsi sunt qui possunt explicare ad quam vtilitatem membra singula, etiam minima, à prouidentia sint procreata. Cõsidera igitur
H mihi scripturas hoc modo, quasdam esse herbas, aut vnum perfectum verbi corpus. Quòd si neque herbarius fueris scripturarum, neque sector propheticorum verborum, ne proinde puta aliquid earum scriptum esse prætereundum, sed teipsum solum, non diuinas literas incusa, quippè qui minimè scriptorum rationẽ consequaris. Hoc à me proœmium dictum est vniuersè, quòd vniuersæ scripturæ vtile esse possit, vt earum legendarũ studiosi ad nullam literam sine disquisitione & peruestigatione prætermittendam incitentur.

VNIVERSAE SRIPTVRAE EDVlium persequendum, & dicta ab hæreticis turbata infœlicibus quæstionibus minimè auersandum, aut superbè negligendum, sed ab iis fructum citra infidelitatis turbas percipiendum.

CAP. XI.

E 2. tomo in Ezechielem.

In Ezechielem tantũ 14. Homiliæ extant.

HÆC dicit dominus, Ecce ego iudico inter oues, arietes & hircos. Nec satis vobis, quia bonum pascuum depascebatis, etiam reliquias pastionis conculcabatis pedibus vestris, & cõstitutam aquã bibebatis,
I & residuũ pedibus vestris turbabatis, & oues meæ cõculcationes pedum vestrorum depascebantur, & conturbatam aquam pedibus vestris bibebant. Postquàm proposuit de ouibus & arietibus, etiam de ouibus capris, quoniam solet scriptura ouem etiam in caprarum genere aliquando ponere, infert: Quid igitur iis innuatur, age, pro viribus disquiramus. Omnis, opinor, bona pastio, & omnis constituta aqua, vniuersa sunt diuinarum literarum oracula. Deinde quoniam aliqui quædam scripta habẽt pro vtilibus, quædam reprobant velut inutilia, minimèque salutaria, ij sanè sunt, qui depasta bona pastione eorum quæ delegerunt, & hausta constituta aqua, quam meliorem esse iudicabant, reliquum pabulum conculcarunt, & reliquam aquã pedibus suis cõturbarũt. Eiusmodi profectò sunt, qui nouum probant Testamentum, vetus reprobant. Item qui veterum literarum alia à diuiniore virtute & suprema profecta esse dicunt, alia ab imperfectiore. Oues autẽ proprias vocat Pastor eos qui non superbè negligunt pedum illorũ conculcationes, neque contemnunt aquam, vituperabiliũ ouium, hircorum, & hœdorum pedibus conturbatã. Oues enim de genere arietum dextris dignæ esse noluerunt. At nos qui optamus oues esse pastoris, nunquam pasci recu- K
semus, & omnia inde quantumlibet dictione absona, & propter dissonantiam locutionis conculcata ab iis, qui neque possunt neque volũt omni vti pastione, etiamsi aliqua aqua pedibus ipsorum fuerit conturbata, miscentium puro Scripturæ sermoni nefandas quæstiones, ne auersemur pro pter illam conturbationem, bibere etiam quod ipsorum pedibus fuerit conturbatum. Obserua autem diligenter ad turbantes aquam, & pastionem cõculcantes, vt de melioribus dici, Et oues meæ conculcationes pedum vestrorum depascebantur, & turbatam aquam pedibus vestris bibebãt. Sed nec vnquam pastionem propheticã conculcemus, neque aquam legalem conturbemus. Et cùm quidam peccent circa Euangelicam pastionem, & aquam Apostolicã, ita vt quædam Euangelica calcent, alia vt bonam pastionem depascant, & Apostolicorum omnia abiiciãt, aut partim approbent, partim reprobent, nos etiam tota Euangelia pascamus, nihilque illorum conculcemus, & Apostolica omnia bibentes, ea quãtum in nobis est, vt constitutam aquam seruemus, & nulla in re infidelitate conturbante, eos qui dicta nesciunt intelligere conturbemus.

EI NON ESSE DEFICIENDVM in lectione diuinæ Scripturæ, qui obscuritatem diuinorum enigmatum & parabolarum non intelligit. L

CAP. XII.

E 20. Homilia in librum Iosué.

SVmma vtilitas è lectione eorum existit, qui possunt veram sortitionem à Iesu distributam filiis Israël intelligere, & quantum valent ascendere ad terram sanctam, veram, verè bonam, & adaptare è dictionum nominibus ad sortientium differentias ea, quæ secundum loca memorantur. Quoniam autem sic affectũ inuenire difficile est, volumus audientes cõsolari, ne in lectionibus deficiant. Quæ igitur sit consolatio, ne audientes eiusmodi lectiones animo fatigentur, oportet dicere. Quemadmodum incantationes quandam vim habent naturalem, & incantator non intelligens accipit aliquid ex incantatione secundum naturam sonorum incantationis, siue ad noxam, siue ad curationem corporis aut animæ suæ, sic mihi cogita omni incantatione potentiorem esse nominũ in diuina scriptura positorum significationem. Sunt enim aliquæ virtutes in nobis, quarum aliæ præstantiores per *cose, in-*
istos veluti incantatores nutriuntur: ita ipsis cognatæ, vt *fero.*
nobis etiam non intelligentibus, virtutes illæ quæ dicuntur, intelligant, & potentiores in nobis ad vitam nostram adiuuandam efficiantur. Esse enim in nobis aliqua in- M
uisibilia, eáque plurima declarat Psalmus, cùm dicit, Be- *Psal. 104*
nedic anima mea dominum, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Sunt ergo multæ virtutes inter nos, sorte consecutæ nostras animas & corpora, quæ quidem si sanctæ extiterint, dum scripturæ leguntur à nobis, iuuantur, & validiores fiunt: & si mens nostra sine fructu fuerit, vt scriptum de lingua loquente, Lingua mea orat, *1. Cor. 14*
mens autem mea sine fructu est. Intellige igitur, quia aliquando quidem fit mens nostra sine fructu, sed virtutes, quæ animæ nostræ & menti & nobis omnibus sunt auxilio, pascuntur & reficiuntur rationali sacrarum literarum & nominum istorum pabulo, nutritæque potentiores ad nobis opitulandum euadunt. Quemadmodum autem præstantiores veluti incantantur, & adiuuantur, & fiunt potentiores huiusmodi literis & nominibus, sic contrariæ potestates quæ in nobis versantur, veluti detrahuntur & vincuntur dei incantationibus, victæque sopiuntur. Ac si quis nostrum aliquando viderit incantamentis sopitam aspidem, aut aliquem alium serpentem venenatum, istud exemplum accommodet ad scripturã, qua lecta, minimèque intellecta, interdum languescit, maléque afficitur auditor,

A auditor, & credat aspides & viperas, quas intra se habet, remissiones curantium medicamentis effici. Verbi gratia, Mosis, sapientis Iosué, sapientum sanctorum Prophetarũ. Ne igitur animis deficiamus, dum audim⁹ scripturas, quas minimè intelligimus, sed fiat nobis secundum nostram fidem, qua etiam credimus omnem diuinitùs inspiratam scripturam esse vtilem. Vnum enim è duobus te de scripturis admittere necesse est, aut eas minimè esse dininitùs inspiratas, quòd non sint vtiles, vt existimat homo à fide alienus, aut, quemadmodum fidelis confitetur, quoniã sunt vtiles, diuinitus esse inspiratas. Scire tamen oportet, nos minimè etiam sentientes plerunque rebus aliquibus iuuari. Exempli gratia, Sæpè cibum aliquem iubemur capere, qui vim acuendi aspectũ habet, nec verò simulátque eum sumimus, sentimus leuari oculum, sed die altero & tertio procedente, experientia sumpti cibi ad oculum conferentis nos cogit credere, huiusmodi cibum oculo esse vtilem. Quin & aliis cibis ad alia corporis membra conducentibus istud idem videre est. Sic igitur crede diuina scriptura tuam iuuari animam, etiamsi mens fructum vtilitatis literarum à sola tenui lectione minimè percipiat. Nostra enim incantantur, & quidem præstantiora aluntur, deteriora autem conficiuntur.

B

QVANDO, QVIBVSVE PHILOSOPHICÆ disciplinæ vtiles ad sacrarum Scripturarum interpretationem cum Scripturarum testimoniis.

CAP. XIII.

GAVDE in Domino, studiosissime & obseruantissime fili Gregori, Origenis nomine. Naturę bonitas, vt nosti, exercitationem consecuta, ad intelligentiam plurimùm valet, & ducit ad finem illius rei, quam quis vult exercere, quatenus est possibile, vt sic loquar. Potest igitur tuæ naturæ bonitas te Romanum iurisconsultum perfectum efficere, & Grçcum aliquem Philosophum earum sectarum, quæ existimantur eloquentissimç. At ergo te cunctis tuæ præstantis naturæ viribus & facultate vti velim, per modum quidem finis ad Christianam doctrinam: efficaciter autem propterea optauerim te etiam assequi Philosophiæ Græcorum circulares disciplinas, aut primas institutiones, quæ scilicet valent ad Christianismum. Quin & Geometrica & Astronomica ad sacrarum literarum explanationem conferunt.
C Vt quod aiunt Philosophorum æmuli de Geometria & Musica, Grammatica & Rhetorica, atque Astronomia, veluti Philosophiæ adminiculis, istud nos asseramus etiam de ipsa Philosophia, Christianæ sapientiæ comparatione. Et fortasse id tacitè indicat, quod scribitur in Exodo, persona Dei, vt dicatur filiis Israël Poscant à vicinis & contubernalibus vasa argentea & aurea, itémque vestes, quò spoliatis Ægyptiis, materiam consequantur ad apparanda ea quæ ad diuinum cultum pertinent. Nam ex iis quæ detraxerunt Ægyptiis Israëlitæ, quæ erant in sancto sanctorum, confecta sunt, arca cum operculo, Cherubim, propitiatorium, vrna aurea, in qua repositum mãna Angelorum cibus. Atque hæc quidem è præstantissimo Aegyptiorum auro confecta esse probabile est. E quodam autem secundo auri genere solidum Candelabrum planè aureum, prope interius velamen, & lucernæ ipsi impositæ, & aurea mensa, super qua propositionis panes collocabantur, & inter vtraque aureum Thuribulum. Quod si tertium & quartũ aliquod aurum fuit, ex illo cõflata erant vasa sancta. quin etiam ex argento Aegyptio alia effecta sunt. Nam in Aegypto habitantes filij Israël id lucri ex illa habitatione sunt consecuti, vt tam pretiosa materia abundarent ad diuini cultus vsum. Præterea ex Aegyptiis indumentis verisimile est effecta quæcunque opus habuerunt opere, vt nominat scriptura, acu pingentium & consuentium, acu pingentium cum Dei sapientia vestimenta his illis modis, vt fierent velamina, & atria interiora & exteriora. Sed quid D me atriner intempestiuè digredientem exponere, ad quæ vtilia fuerint filiis Israël Aegyptiorum spolia? quibus Aegyptij quidem contra ius officiúmque vtebantur, Hebræi verò ob Dei sapientiam ad pietatem diuinumque cultum. Nouit tamẽ diuina scriptura, è terra filiorum Israel in Aegyptum descensum in malis ponere, tacitè innuens quibusdam malum esse versari cum Aegyptiis, id est, cum mũdi disciplinis, postquàm legi Dei fuerint inscriptę, & Israeliticæ erga ipsum pietati atque cultui. Ader certè Idumęus quamdiu fuit in terra Israel, non gustatis Aegyptiorum panibus, idola minimè fabricauit. At quando fugiens sapientissimum Salomonem, descendit in Aegyptum, velut fugiens à Dei sapientia, cognatus effectus est Pharaonis, ducta vxoris ipsius sorore, & procreato filio qui inter Pharaonis filios educatus est. Itaque etsi rediit in terrà Israel, at rediit vt Dei populum scinderet, eúmque dicere faceret de aurea vitula, isti sunt dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Ac ego sanè expertus tibi affirmauerim raros esse, qui vtilitates Aegypti percipiant, & ex ea egrediantur, & conficiant quæ ad Dei cultum pertinent, multos verò, qui Idumęi Ader sint fratres. Isti autem sunt, qui è Græco discursu hæreticos sensus gignunt, & quasi vitulos aureos fabricant in Bethel, quæ interpretatur domus Dei. Videtur autem mihi verbum per ista obscurè indicare, quòd priuata commenta affinxerunt scripturis, in E quibus Dei verbum habitat, tropicè appellatis Bethel. Cæterùm aliud figmentum & idolum, vt inquit verbum Dei, in Dan repositum est.

Termini autem Dan extremi sunt, & prope gentiles terminos, quemadmodum constat è Iosue filij Nun commentario. Igitur propinqua sunt gentilibus terminis quædam figmenta, quæ Ader Idumæi fratres, vt tradidimus, confinxerunt. Quocirca honorande fili, præcipuè attende *1.Tim.4* diuinarum scripturarum lectioni, sed attende. Vt enim multa attentione legamus diuina, opus nobis est, ne nimis temerè aliqua effutiamus, aut de ipsis æstimemus. Et attendens rerum diuinarum lectioni cum fideli Deóque digna cogitatione, clausa ipsius pulsa, & tibi à ianitore aperietur: de quo dixit Iesus, Huic ostiarius aperiet. Et at- *Ioan. 10* tendens diuinæ lectioni rectè quære, & cum fide in Deum firma, diuinarum literarum intelligentiam multitudini occultam atque obstrusam. Verùm ne tibi satis sit pulsare & quærere. Nam maximè necessaria etiam ad res diuinas intelligendas oratio: ad quam cohortans Saluator, non *Oratio necessaria ad intelligẽdas scripturas.* solùm dixit, Pulsate & aperietur vobis: &, quærite, & inuenietis: sed &, Petite, & dabitur vobis. Hæc pro mea paterna erga te dilectione ausus sum. An rectè sim ausus, nécne, Deus nouit, & Christus ipsius, quique Spiritu dei & Spiritu Christi participat. Vtinam autem etiam tu par- F ticipes, & participationem semper augeas, vt non modò dicas, participes Christi effecti sumus, sed & participes Dei.

QVI NOLVNT CIRCA VERITATEM in intelligendis diuinis scripturis falli, necesse habent logicas rationalésue disciplinas ad vsum congruentes cognoscere, videlicet primas Institutiones, sine quibus accuratio significatorum non potest rectè constitui.

CAP. XIIII.

E tertio tomo in Genesim. *Nõ extat.*

ET fecit duo luminaria magna, luminare maius in principatum diei, & luminare minus in principatum noctis, & stellas, & posuit ea Deus in firmamento cœli, vt lucerent super terram, & præessent diei & nocti. Quærendum certè, an idem

G sit in principatum noctis, &, Vt principetur nocti. Etenim Akyla conuenientiam seruauit, ponẽs loco In principium noctis, in potestatem: pro, Vt principetur, vt potestatem exerceat. Aiunt autem, qui solliciti sunt de significatorum inuestigatione, in locis habẽtibus appellationum siue nominum & prędicatorum coniugationem, præponi appellationes, sequi prædicata. Appellationem prædicatum habentem dicunt esse sapientiam, prędicatum sapere: similiter temperantiam & temperare. Ac præcedere aiunt sapientiam, deinde prædicatum accedere, vt à sapientia sapere. Hæc, quamuis nonnullis videamur præter scripturæ mentem facere, obseruauimus. Quoniam effector luminarium deus, luminare maius facit in principatum diei, minus in principatum noctis, at ipsa in firmamento cœli locat, non iam in noctis dieique principatum, sed vt principentur diei & nocti. Quodam enim ordine & consequentia artificiosæ inflexionis, secundum locum positas esse appellationes siue nomina, deinde inferri prędicata imputet nos ne res sic habere etiam apud famulum existimaretur. Maximè quoniam Akyla, qui maximè propriè interpretari contendit, non aliud posuit prę ter nomen & prædicatum. Cæterùm sciat qui hoc ægrè accipit, possit ne sententiam moralem aut philosophicã, aut theologicam prębere, quemadmodum oportet citra accuratam significatorum & logico loco illustratorum notitiam. Nam quid absurdi est propriè dicta in vsitatis linguis percipere, diligentérque rebus significatis insistere? Alicubi enim ex ignoratione logicæ grauiter labimur, dum multiplicia, ambigua, catachreses, proprias locutiones, distinctiones minimè discernimus. Exempli causa, Ignoratione homonimiæ nominis Mundus, inciderunt aliqui in sceleratas sententias de summo opifice, non discernentes de quo diceretur istud Ioannis, Mundus in maligno positus est: quasi de cœlestibus & humanis istud sic prænuntiaretur. Arbitrati enim mundum iuxtam ipsam vocem significare rem è cœlo, terra, & intrà positis confectam, audacissimè & sceleratissimè pronuntiant de Deo, cùm nullo modo possint reipsa ostendere, quî sol, luna, stellæ, quæ tam rata proportione vertuntur, in maligno sint posita. Deinde si ipsis adducamus, Iste est agnus Dei qui tollit peccatum mundi: quod mundus, vbi peccatum abundat, iuxta has locutiones dicitur, de cœlestibus & sublimaribus locis, conscientia admittent que dicuntur, at altercantes puerilitérque sese vertentes, semel iudicatis decretisque flagitiis immanebunt. Præterea si obiiciatur, Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: non adhuc poterunt, quod susceperunt de vniuerso mundo, hoc est, de iis quæ toto mundo consistunt, secundum suas ipsorum hypotheses & proposita ostendere. necessariò enim huiusmodi dictio quasi homonyma & ambigua, distinguenda est. Et verò citea ambiguitatem flagitiosarum perceptionum, & distinctionem punctorum, aliorúmque sexcentorum exempla non pauca conanti licet accipere. Hæc sumus quadam digressione persecuti, vt ostenderemus, etiam secundum nos qui nolumus circa veritatem decipi in intelligendis diuinis paginis, necessariò sciendam doctrinam logicam, quæ in vsum cadit, qua etiam nunc eguimus ad inueniendam eorum quæ dicebãtur differentiam, de in principatum diei & noctis, &, vt principarentur diei & nocti.

Nomina & prædicata. — *Cõtra eos qui minutias significationũ negligũt.* — H — *1. Ioan. 6* — *Ioan. 1.* — *Ephes. 1.* — I

ADVERSVM GRAECORVM PHILOSOPHOS, diuinarum Scripturarum locutionis humilitatẽ vellicantes, & Christianæ doctrinæ præclaras sentẽtias meliùs apud Græcos dici asseuerantes. præterea deforme esse Domini corpus dicentes. Item quæ diuersarum verbi formarum ratio.

CAPVT XV.

E tomo 6. & 7. contra Celsum, qui contra Christianos scripsit.

SEXTVM hunc librum instituentes aduersum Celsi contra Christianos calumnias, debemus, sacer Ambrosi, contendere non aduersum Philosophica proposita, vt aliquis existimare posset. Proposuit enim complura è Platone maximé, quæ nobis cum aliis cõmunia facit, dum possunt ab aliquo vel prudenti è sacris literis sumi, melius ipsa apud Græcos dici affirmans, etiamsi non referantur & euuurientur de Deo, deíve filio. Asseueramus igitur, cùm veritatis professoribus propositum sit prodesse quamplurimis mortalium, & pro humanitatis iure adducere quemlibet, non solùm eruditum, sed etiam indoctum, nec solùm Gręcos & Barbaros, sed multomagis quosuis agrestissimos & illiteratissimos cõuertere perspicuè formam dicendi cõmunem esse vsurpandã, quæ & quorumuis aures possit attrahere: Quotquot autem longũ vale dicẽtes plebeiis hominibus, veluti mancipiis, miniméque idoneis, ad consequentiam orationis & benè ordinatæ doctrinæ percipiendam, rationem duntaxat habuerunt hominum in literis & disciplinis exercitatorum, isti in valde breue & angustum suam beneficentiam & communicationem contraxerunt. Hæc à me ideò dicuntur, quia Celsus & alij criminantur scripturarum in eloquẽdo simplicitatem, quæ videtur obscurari cultioris elocutionis splẽdore. Quoniam Prophetæ nostri, ipsi Iesus & eius Apostoli, vni intenti fuerunt enuntiationis modo, quæ nõ solum vera complecteretur. sed etiam posset inducere plurimos, donec persuasi & attracti singuli pro viribus, ascenderent ad arcana simplici oratione expressa. Et sanè, si verum fateri oportet, paucis profuit, siquidem profuit, præclara & accurata illa Platonis & similium oratio, multò autem pluribus ista simplicitas hominum officiosè simul ac conuenienter plebi docentium atque scribentium. Itaque videre licet Platonem in doctorum duntaxat versari manibus, Epictetum autem etiam à quibuslibet impetum ad suam vtilitatem habentibus suspici, quòd se oratione ipsius proficere sentiant. Quę quidem dicimus, non vt Platonem criminemur. Nam & ex eo multi homines magnam vtilitatem sunt consecuti. Verùm vt illustremus sententiam dicentium. Et sermo- «
meus atque prædicatio, nõ in persuasibilibus humanæ sa- «
pientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ne fi- «
des sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. [Est enim «
propria quædam demonstratio verbi diuinior Græca, è dialecticis præceptionibus desumpta, quam Apostolus vocat ostensionem siue demonstrationem spiritus & virtutis. Spiritus quidem propter Prophetias idoneas ad fidem cuilibet faciendam de rebus Christi: Virtutis verò propter prodigiosas virtutes, quas esse editas effici potest, cùm ex multis aliis, tum quia earum vestigia adhuc seruantur apud eos qui iuxta verbi voluntatem viuunt.] Præterea etiam ait diuinus sermo, id quod dicitur non sufficere, etiamsi per se verum sit, & maximè credibile ad mouẽdos humanos animos, nisi doctori diuinitùs concedatur vis quædam, & dictis eius adsit cœlestis gratia, quæ non sine deo inseritur expeditè loquentibus. Ait id Propheta sexagesimo septimo Psalmo, Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Itaque vt demus quædam placita nobis esse cum Græcis communia, at illa non tantundem valent ad conuertendas & afficiendas animas. Quo factum, vt idiotæ, quantum ad Græcam Philosophiam attinet, discipuli Iesu peragrando multas orbis nationes, afficerent eas, prout verbum postulabat, pro dignitate auditorum, qui quanto impetu liberi arbitrij erant ad bonum percipiendũ procliuiores, tantò proficiebãt ij meliùs. Proinde sequantur veteres homines & sapientes, qui eos possunt assequi, doceat Plato Aristonis filius de primo bono, scribat in quadam epistola primum bonum planè esse ineffabile, sed post multam coniunctionem repentè ab eo, velut à flamma, lumen in anima accendi atq; ardere. Quibus

L — *1. Cor. 2.* — *Hæc in libris cõtra Celsum versis nõ habentur.* — M — *Miracula in Ecclesia.* — *Psal. 67.*

A Quibus auditis, nos qui studemus multis præclarè dictis aduersari, etiamsi eorum auctores alieni à fide extiterint, neque cum ipsis contendere, neque sana euertere, vt rectè *Rom.1.* proditis assentimus. Deus enim & hæc, & quæcunque alia præclarè dicta eis manifestauit. Quapropter dicimus eos, qui vera de Deo conceperunt, nec vt Deo debitum cultum verè tribuerunt, subiacere peccantium suppliciis. *Ibidem.* De his enim hoc planè modo loquitur Paulus, „ Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, veritatem in iniustitia detinentium, quia quod notum Dei, manifestatum est illis. Nam Deus ipsis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Tenent igitur veritatem isti, vt nostrum testatur verbum, qui sentiunt primum bonum esse ineffabile, & post multam consuetudinem repentè, velut à flamma lumen, in anima accensum ipsum à seipso, deinde ali. Verùm qui talia de primo bono scripserunt, descendunt in Pyreum, adoraturi vt Deum Dianam, & spectaturi cele-B bratam à plebecula celebritatem: & vbi sic egregiè de anima sunt philosophati, & disseruerunt de eius post actam præclarè vitam transitu & fœlicitate, derelicta magnitudine eorum, quæ ipsis Deus manifestauit, abiecta paruáque *Socratem perstringit.* sentiunt, & Gallum Aesculapio voto tribuunt: ac vbi inuisibilia Dei & Ideas imaginati sunt è creatura mundi, & rebus sub sensum cadentibus, à quibus ascendebant ad ea quæ intelligentia percipiuntur, sempiterna ipsius virtute diuinitatéque non obscurè perspecta, euanuerunt nihilominus in suis cogitationibus, & cor eorum quasi insipiens volutatur in tenebris & ignoratione veri Dei cultus. Ac licet videre magnificè de se sentientes sapientiæ Theológiæque nomine simulachrum imaginis corruptibilis hominis adorare, in honorem (inquit) illius: *Celsus, scilicet.* interdum etiam delabi cum Aegyptiis ad volatilia, aut quadrupedia, aut reptilia. Vt autem videantur aliqui ista superasse, at inuenienrur certè mutasse Dei veritatem in mendacium, ac venerabundi coluisse creaturam plus quàm creatoré. Proinde Græcorum sapientibus & disciplinarum studiosis, ope-*1. Cor. 1.* ribus suis circa numen erráribus: Elegit Deus stulta mundi, vt confunderet sapientes, & ignobilia & infirma, & cótempta, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret, re vera ne glorietur omnis caro in conspectu domini. Cæterùm primi nostri sapientes, Moses antiquissimus, eúmque subsequuti Prophetæ, planè ineffabile cognoscentes pri-C mum bonum, scriptis tradiderunt, Numine veluti sese dignis & idoneis manifestante, Deum, verbi gratia, apparuisse Abrahæ, Isaac & Iacob: *Genes.18. & seque.* sed quia in essentia, & qualitate, & modo, & parte, exquirendum reliquerunt his qui possunt exhibere semetipsos iis persimiles, à quibus ipse conspectus est, non corporis oculis, sed puro corde. *Deum quinam viderint.* Etenim iuxta nostrum Iesum, Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quòd autem repentè veluti à flamma exiliente, lumen accendatur in anima, multò antè in scripturis dictum est per Prophetam, „ illuminate vobismetipsis lumen notitiæ. *Matt.5.* Sed & Ioannes multo post dixit, „ in verbo vita erat, & vita erat lux hominum, quod lumé verum illuminat omnem venientem in verum & intelligibilem mundum, eúmque facit lumen mundi. *Ioan.1.* Effulsit enim istud lumen in cordibus nostris, ad illuminationem Euangelij gloriæ Dei in persona Christi. *2.Cor.3.* Proinde inquit Propheta vetustissimus multis ante Cyri imperium seculis vaticinatus, „ Dominus illuminatio mea & saluator meus, quem timebo? *Psal.118.* Et, Lucerna pedibus lex tua, lumen semitis meis. Et, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. *Psal.4.* Et, In lumine tuo videbimus lumen. Quin & cohortans ad hoc lumen nos Esaias, Illuminare, illum (ait) Hierusalem. Nam venit lumen tuum, & gloria Domini super D te coorta est. Idem vaticinans de Dei aduentu, auocantis ab idolorum & simulachrorum & dæmonum cultu ait: Sedentibus in regione & vmbra mortis, lumen ortum est illis. *Esa.60.* Rursum, Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. *Esa.4.* Cerne igitur discrimen eius, quod dictum est præclarè à Platone de primo bono, & quod dictum per Prophetas de lumine beatorum, ac considera vt vera de eodem Platonis sententia, nihil ad sinceram pietatem profuerit auditoribus, ac ne ipsi quidem qui sic de primo bono est philosophatus. Diuinarum autem literarum humilis locutio afflatu diuino affecit germanos eius lectores, apud quos alitur istud lumen oleo in quadã parabola commemorato, lampadum lumen in quinque prudentibus virginibus seruante. *Matt.25.* ✱ Post hæc age dispiciamus sequenté ipsius Celsi sermoné, sic se videlicet habenté: Habét etiã istud mandaté, iniuria afficientem non vlcisci. Si percusserit (inquit) vnam maxillam, præbe ei & alteram. *Hæc desiderantur 6.lib. contra Celsum.* At priscum istud est admodum, & longè ante traditum, verùm agrestiùs ab ipsis memoratum. Nam etiam à Platone Socrates inducitur sic cum Critone disputans. Nullo igitur pacto iniuriam inferre oportet? CRITO. Nullo igitur iniuria affecto iniuriam retaliare, vt vulgus existimat: quandoquidem nullo modo simpliciter iniuriã inferre oportet. &c. Ad hæc & reliqua omnia, quæ cómunia inter nos facit Celsus, dum nó potest veritatem ipsam ex aduerso contueri, affirmans ipsa etiam apud Græcos esse prodita, respondédum. E Si vtile est placitum, si sententia eius sana: commemorata autem fuit à grçcis quidem apud Platonem, aut aliquos alios sapientes Græcos, à Iudæis verò apud Mosem aut alium Prophetam, à Christianis autem in oraculis Iesu Christo inscriptis, aut apud aliquem Apostolorũ pronuntiatis, non existimare oportet dictum apud Iudæos aut Christianos ideò esse reprehendendum, quòd apud Græcos idem habeatur: *παρ' ἐμοὶ lego non περὶ.* præsertim si demonstretur Iudaica Græcis esse antiquiora. Neque rursum quod dicitur præclara Græcorum oratione, vllo modo existimandũ esse præstantius eo quod humilius, & simplicioribus dictionibus apud Iudęos & Christianos est enũtiatum: quãquam prima Iudæorum locutio, qua vsi Prophetæ, nobis reliquerunt Biblia, hebraico eloquio & sapienti compositione, iuxta linguę apud illos vsitatę elocutionem conscripta est. Quòd si easdem sententias, etiamsi paradoxum videatur, ostendendum est præclarius dici apud Iudæorum Prophetas, aut in Christianorum oraculis, sic instituetur disputatio, sumpto ab alimentis & eorum apparatu exemplo. Esto aliquis salubris cibus: qui & vires edentibus afferat. Illum sic paratum, huiusmodíque condimentis imbutum accipiant, non quidem insoliti ea esitare rustici, & in caulis educati & pauperes, sed soli diuites & delicati. Plebecula autem infinita comedat alium cibum, non quidem hoc & illo modo, vtque nitidioribus videtur paratũ, sed vt consueuerunt pauperes & agrestiores, & vulgus hominum. F Si igitur concedatur tali apparatu eos, qui existimantur nitidiores, solos conualescere; nullo è plebe ex huiusmodi victu vtilitatem capiente, at ab istiusmodi alio vulgares homines salubriùs agere, quosnam potius benignitatis & communicationis nomine salubrium ciborum gratia recipiemus? Vtrum eos qui diuitibus vtiliter ista pararunt, an eos qui multitudini? Detur enim parem sanitatem & firmam habitudinem effici cibis vtroque modo paratis, certè humanitatis & communicationis officium subiicit, cómunitati vtiliorem esse medicum, qui multorũ quàm qui paucorum duntaxat sanitati prouidet. *Accommodatio exempli.* Si comprehenditur exemplum, ad rationalis rationalium animalium cibi qualitatem. Vide num Plato & Græcorum sapientes, in iis quę pręclarè dicunt, sint similes medicis, lautiorum tantùm valetudini prouidentibus, plebem negligentibus, Iudęorum autem Prophetę, & Iesu discipuli, varia elocutionis pigmenta, & hominum (vt Scriptura loquitur) sapientiam, sapientiam secundum carnem à lingua obscurè & ænigmaticè enuntiatam, comparari debeant cum illis medicis ad multitudinis sanitatem ciborum qua-

G liratem saluberrimam procurantibus, dum illorum sapiẽtia sic verborum structura paratur & ordinatur, vt ad multitudinem hominum perueniat, neque eorum locutionẽ peregrinã reddat, neque peregrinitate deterreat auditores ab huiusmodi colloquio velut insolenti & inusitato. Nã si propositum est, vt sic dicam, rationali esca patientem & mitem reddere comedentem, quo pacto non erit præstantior oratio, quæ plurimos malorum tolerantes & mites efficit, quàm quæ paucissimos numeratúque faciles, proficientes in eiusmodi virtutibus, & vt istud concedatur, malorum patientes & mites reddit? Quemadmodum sanè si quis Græcus Aegyptiorũ & Syrorum æmulos vellet sanis dogmatibus imbuere, prudenter mallet discere audientiũ loquendi formulas, & vt Græci aiunt, Barbarizare ad Aegyptios & Syros in melius vertendos, quàm Græcus persistens, nihil vtile Aegyptiis & Syris posse dicere. Sic prospiciens diuina natura, non iis tantùm qui existimantur in Græcis disciplinis instructi, sese accommodauit ad rudiorum multitudinis audientium captum, vt vsitatis vtens locutionibus, idiotarum & illiteratorum promiscuum vulgus ad auditionem prouocaret, qui valent, post semel percepta elementa profundiora, sensus in Scripturis reconditos comprehendere. Nam cuilibet illas legenti perspicuũ, multa habere posse profundiorem intelligentiam, quàm quæ prima superficie apparet, semetipsos inuestigandis his
H sententiis consecrantibus manifestatam, atque cognitam pro otij ad id collocati ratione, & quatenus quis animi sui vim atque aciem exercet. Confectum est igitur, cum qui
Matt. 5. sic paulò agrestiùs dixit, vt quidem sentit Celsus, Percutienti te in vna maxilla, præbe ei & alteram. Et, volenti tecum iudicio contendere, & tunicam tuam accipere, dimitte ei & vestem: vitæ vtiliorem sermonem fudisse & adhibuisse, quàm in Critone Plato, quem ne quidem percipere idiotæ possunt, sed vix mediocriter docti, nondum eximiã Grẹcorum Philosophiam consecuti. Præterea considerandum mentem de malorum tolerantia minimè corrumpi hac locutionis simplicitate, sed etiam in hoc sycophantam agere Celsum contra Dei verbum, dum ait, Sed de iis, & aliis quæ corrumpunt, hæc satis sint dicta.

Rursum sexto tomo contra Celsum, Deforme corpus Domini prædicantem his verbis.

POST hæc ait Celsus, Quoniam diuinus spiritus erat in corpore, omninò differre ipsum à reliquis oportebat, aut magnitudine, aut pulchritudine, aut fortitudine, aut stupore, aut dicendi gratia. Nam fieri nequit, vt qui plus habebat diuinitatis quàm alij, nihil aliis præstaret. Tantum autem abest,
I vt alterum vlla in re excelluerit, vt ipsum parum & deformem, & ignobilem extitisse dicant. Videtur sanè in his, quando Iesum vult criminari, quasi scripturis credere, quæ ipsi reprehensionis occasionem pręberę videntur, indéque afferre testimonia. Vbi autem secundum easdem scripturas, contraria videntur dici iis, quæ in reprehensionem incurrunt, se ea nescire simulat. Pro confesso igitur scriptum est, deforme extitisse Iesu corpus, non tamen, vt exponit, etiam ignobile, sed nec apertè paruum fuisse ostenditur. Verùm oratio sic apud Esaiam de ipsius aduẽtu sine venusta specie, & nimis insigni pulchritudine vaticinantem te-
Esa. 53. xitur. Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Annuntiauimus quasi paruulum in conspectu eius, vt radix in terra sitienti. Non est forma ipsi, neque pulchritudo, verùm forma ipsius sine pretio, & deficiens, præ filiis hominum. An igitur ista audiuit Celsus, quando sibi esse vsui ad criminandum Iesum putat? At nondum in quadragesimo quarto Psalmo de dilecto pronuntiatis intendit, quo pacto dicitur, Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè. Specie tua & pulchritudine tua intende, & prospere, & regna. Sed detur ipsum non legisse Prophetiam, aut legisse quidem, sed fuisse circumuentum à vitiosis interpretibus, quasi ad Christum non pertineat Quid dicet de Euangelio, in quo in excelsum montem ascendens, K
ante discipulos transfiguratus est, & in gloria visus? quando & moses & Elias conspecti in gloria, de excessu eius, quem Hierosolymis erat impleturus, sermocinabantur? An Prophetam dicentem allegabit, Vidimus ipsum, & non habebat formam, neque pulchritudinem, & cætera? Quam Prophetiam si ad Iesum referri admittit, circa pro- Esa. 53.
priam suam confessionem cęcutit, neque cernit, quanti sit operis Iesum, qui videtur formæ & pulchritudinis expers, filium esse Dei, ac multis annis ante eius ortum Propheriam de eius forma fuisse conscriptam. Quòd si Propheta alius ipsi pulchritudinem & formam tribuit, non iam ad Iesum Christum referri Prophetiam confitetur. Ac si quidem apertè posset ex Euangeliis accipi, non habuisse speciem neque pulchritudinem, sed formam eius sine honore, præ filiis hominum deficientem, meritò certè quispiam Celsum affirmaret non ista ex Prophetico oraculo retulisse, sed ex Euangelio. At nunc cùm neque Euangelia, neque Apostoli quicquam tale expressęrint, perspicuè illud è Prophetia ductum, tãquam de Christo verè enuntiatum, suscipere cogitur, quod certè non sinit Christi criminationes procedere. Rursum qui ait, Quoniam diuinus spiritus erat in corpore, planè ipsum à cæteris differre oportebat aut magnitudine, aut voce, aut robore, aut admiratione, aut persuadendi facultate: quomodo non videt corporis eius diuersitatem pro intuentium captu, adeò vt magna eorum vtilitate talis appareret, qualem cerni vnicuique expediat. Nec mirum materiam natura mutabilem, & alterationi obnoxiam, & in omnia quæ voluerit L
summus opifex, formabilem, omnísque qualitatis, quam summus ille architectus expetiuerit, capacem, modò affici qualitate, secundum quam dictum sit, Non habuit formã Esa. 53.
neque pulchritudinem: modò sic esse gloriosam & illustrẽ & mirabilem, vt in faciem tantæ pulchritudinis spectatores caderent, tres Apostoli, qui Christum fuerant comitati. At (inquies) hæc sunt figmenta, & nihil à fabulis discrepantia, vt reliqua de Iesu miracula. Respondendum vniuersam historiam, etiamsi vera fuerit, in omnibus tanquam gestam & probabilem velle reddere, valde est difficile, & in quibusdam impossibile. Sic enim quidam affirmaret nunquam extitisse bellum Troianum, præsertim cùm eius descriptio aliqua, quæ fieri non possunt, inuoluat & complectatur de Achille è Thetide marina Dea, & Peleo homine nato, de Sarpedone è Ioue, de Ascalapho & Ialmeno è marte, de Aenea è Venere. Nam videant quo pacto ista ad historiæ veritatem possint aptare, maximè cùm premamur commento nescio qua ratione texto, atque apud omnes opinio de Iliensi Græcorum & Troianorum conflictu & verè gesto obtinent. Fac etiam aliquem non credere de Oedipode & Iocasta, & ex vtroque natis Etheocle & Polynice, quod historiæ immisceatur Sphynx media parte virgo. Id quomodo demonstra- M
bimus. Certè qui candido animo legit historias, & se vult in ipsis citra errorem seruare, quibus assentiri debeat, quæ figuratè interpretari, qualia & quibus, discussa rerum fictarum intelligentia, non credere, vt quæ ad aliquorum gratiam sint conscripta, indicat. Atque hæc propter vniuersam quæ in Euangeliis de Iesu fertur, historiam diximus, non vt ad leuem & ratione carentem fidem ingeniosiores vocemus, sed quia volumus lectores domo afferre candidum animum, & multam diligentiam atque inuestigationem, &, vt sic nominem, ingressum ad scribentium voluntatem, vt quo quidque sensu scriptum sit, assequantur. Videtur quidem Celsus, vt verbo criminetur, scriptis nostris, quando vult, credere: at ne declaratam in iisdem libris diuinitatem admittat, Euangeliis fidem demit, cùm cernentem scribentium veritatis amorem & studium è peiorum descriptione, etiam de præstantioribus & diuinioribus credere oporteat. Nam nisi fuissent veritatis amatores & studiosi, sed vt arbitratur Celsus, figmenta conscripsissent, nunquam Petrum induxissent negantem, aut discipulos Iesu scandalizatos. Quis enim si hæc fecissent, reprehendisset, cùm sanè

A sanè hæc tacenda fuisse videantur hominibus lecturis Euangelia, ad mortis contemptum pro Christianæ religionis confessione adducere volentibus. Nunc autem perspicientes virtute verbum homines vincere, etiam si ista posuerunt, nescio quo modo lectores non offensura, neque occasionem negandi datura. Prætetea habet aliquid mysticum diuinus sermo, differētes Iesu formas ad diuini verbi naturam referri commemorans, qui quidem non eodē modo multitudini & Apostolis, qui ipsum ad montem excelsum sequi poterant, est visus. Nam multitudini adhuc in imis versanti, nondúmque ad ascendendum præparatæ, verbum non habet speciem neque pulchritudinem. Eius enim species istiusmodi hominibus caret gloria, & deficit præ sermonibus factis, qui figuratè filij hominum appellantur. Dicere enim possumus multò videri pulchriores Philosophantium sermones, tanquam hominum filios, quàm verbum multitudini prædicatum, quod pręse fert prædicationis stultitiam. Propter quam apparentem prędicationis stultitiam, qui istam duntaxat contemplantur, dicunt, vidimus eum, & non habebat formam neque pulchritudinem. At iis qui sequendi virtutem sunt adepti, vt etiam eum in excelsum montem ascendentem comitētur, diuiniorem habet formam quam cernunt: Petrus quidem Ecclesiæ in seipso ædificationem à verbo capiens, & tan-
B tam habitudinem assumens, vt nulla inferi porta aduersus ipsum præualeat exaltatum verbi munere & gratia è por-
Psal.9. tis mortis, vt annuntiet omnes laudationes Dei in portis filiæ Sion: deinde Ioannes atque Iacobus è verbis magnisonis ortum consecuti, qui nihil absunt à spirituali toni-
ὡς lego, non τὸ. tru. Sic vestimenta ipsius in inferioribus nec sunt candida, neque vt lumen: sed si ascendat in montem excelsum, spectabis ipsius vestimenta tanquam lumen. Vestimenta verbi, dictiones sunt scripturæ: Indumentum diuinorum sensuum sunt ista verba. Quemadmodum igitur ipse inferiùs alterius formæ conspicitur, atque ascendens transformatur, fitq; ipsius vultus sicut sol, sic & indumenta, sic & vestimenta ipsius. Porrò cùm inferius versaberis, non sunt splendida, non candida: Cùm ascenderis, speciem & lumē vestrum conspicies: vultum Iesu transformatum admiraberis. Vide an tale aliquid non liceat de Saluatore in Euāgeliis discere. Hæc enim de orta ipsius stēma ducentis ex Abraham, & nascentis è semine Dauid secundum carnem, partim sunt liber generationis Iesu Christi, partim diuiniora & maiora, quæ de ipso dicuntur, & ab ipso enuntiātur (inquit Ioannes) quàm vt mundus ipse, opinor, scribendos libros capiat. Nam mundum non capere scribendos
Ioan.20.21. libros, non debet accipi, vt quidam sentiunt, de literarum multitudine, sed de rerum magnitudine, quod rerum ma-
C gnitudo non solū non possit scribi, sed nec lingua humana enuntiari, nec sermonibus & vocibus hominum significari. Quare etiam Paulus, quando diuiniora debuit discere, extra nostrum terrestrem mundum ponitur, & in tertium cœlum rapitur, vt illic arcana verba audire possit. Nam illic dicta, & verbum Dei existimata, verbi esse incarnati, & quemadmodum Deus est apud Deum, seipsum exinanientis, prædicantur. Proinde Dei verbum super terram, quoniam homo factum est, humana natura præditum cernimus. Semper enim in scripturis verbum caro factum est, vt habitaret in nobis. Verum enimuerò si in pectus verbi incarnati reclinemur, & ipsum ascendentem in montem excelsum sequi possimus, dicemus, vidimus gloriam eius. Vbi fortassè quidam alij de reclinatis in pectus ipsius, &
Ioan.1. ipsum in montem excelsum prosequentibus dicturi sunt, vidimus gloriam ipsius, sed non sunt addituri, gloriā quasi vnigeniti à patre, pleni gratia & veritate: Ioanni enim & similibus conuenit ista vox. Cæterū iuxta aliam sublimiorem explanationem, qui possunt Iesu vestigia sequi, ascendentis, & ab aspectu terreno transformati, ipsius cernent transformationem. In singulis Scripturis, videlicet in externa literæ facie, vulgus Iesum cernit: pauci autem discipuli, qui & eum possunt per ardua & excelsa sequi, ascendentem in montem excelsum, & transfiguratum, in altissimo & excelsissimo Scripturarum intellectu, complectente oracula sapientiæ in mysteriis absconditæ contemplantur, D quam Deus prædestinauit ante secula in gloriam iustorum ipsius. At verò vnde Celso, diuinique verbi hostibus, qui neque veritatis studio Christiana mysteria perscrutantur, diuersarum Iesu formarum, atque adeò ætatum, & rerum ante eius perpessionem, & à mortuis resurrectionem actarum sententia patebit?

DE CALVMNIANTIBVS CHRIstianam religionem propter vigentes in Ecclesia hæreses.

CAPVT XVI.

E tertio tomo contra Celsum.

DEINDE mox in Christianorum hæreses & sectas inuehitur, nobis cum exprobratione dicens: Postquam latè sparsi sunt, rursum scinduntur & diuidūtur, & factiones priuatas quisque habere cupit: & vt in multitudine dissona alij alios inuicem redarguunt, vnico nomine inter se conuenientes, si quidem conueniunt, & vt istud solum pudore relinquunt, reliqua tamen alia aliorum sunt instituta. Ad E quæ respondebimus, nullum vnquam fuisse serium rei alicuius principium, & vitæ vtile, quod non in varias sectas discissum sit. Quoniam enim Medicina vtilis est & necessaria humano generi, & multas quęstiones habet de modo curandi corpora: idcircò apud Græcos ex professo plures in medicina sectæ reperiūtur. Sic & opinor apud Barbaros, qui medicinam profitentur. Rursum quoniam philosophia veritatem pollicens, notitiámque rerum, quo pacto viuere oporteat, supponit, & conatur vtilia hominum generi tradere, sed multos habent anfractus res in quæstionē venientes, proinde in Philosophia quamplurimæ sectę exurgunt, quarum aliæ insigniores, aliæ non tanti ponderis *Vnde hæreses speciē habent.* & pretij. Quinetiam in Iudaismo exortæ hæreses speciem & prætextum habent ex differenti literarum Mosaicarum & oraculorum Propheticorum expositione & traditione. Sic igitur quoniam Christiana religio venerabile quiddā visa est hominibus, non tantū seruili ingenio prędiṫis, vt Celsus opinatur, sed etiam multis Græcorum Philosophis necessariò extiterunt non planè factionis & contentionis, sed Christianę veritatis à compluribus eruditis inquisitæ studio. Istud autem est variè consecutum, dum omnes venerantur & recipiunt diuinas scripturas: sed varij eorum intellectus auctores suos habent, vt quisque ad illam inter se dissonantiam probabili aliqua ratione motus est.
F At neque medicinam meritò quis fugiat, propter differentes in ea hæreses, neque Philosophiam vlla honesti specie quis oderit, causas odij ducens è sectarum multitudine, sicut neque propter Iudaïcas sectas damnanda sunt Mosis & Prophetarum sacra volumina. Quę si sunt cōsentanea, quo pacto non similiter nosmetipsos defendemus, etiamsi inter Christianos multæ hęreses extiterint, de quibus valdè mirificè Paulus mihi scripsisse videtur. Oportet enim hęreses in vobis esse, vt probati manifesti fiant in vobis. 1.Cor.11 Vt enim ille probatus est in medicina, qui quoniam in diuersis sectis se exercuit, & probè complures examinauit, insigniorem elegit, atque vt ille in Philosophia valdè profecit, qui post multorum notitiam in ipsis est exercitatus, & rationē potiorem sequitur: sic dixerim accuratè discernentem atque dignoscentem Iudaïcæ & Christianę religionis hęreses, sapientissimum esse Christianum. Qui autē incusauerit illam doctrinam propter hęreses, incusabit similiter Socratis disciplinam, è cuius disputationibus multæ extiterunt non eadem sententium scholę. Pretereà Platonis dogmata reprehendet, ob Aristotelē ab ipsius schola nouis de opinionibus discedentem, de quo etiam in superioribus diximus. Videtur autem mihi Celsus nosse quasdam hęreses, ne nomine quidem Iesu nobiscum commu-

G nicatas. Fortassis enim audiuit de Ophianis & Caianis, & si qua alia similis est sententia, modis omnibus à doctrina Iesu discrepans: verumtamen ista nihil ad Christianorum doctrinæ vituperationem attinent. * Extiterunt enim in nobis, qui negarent eundem esse Deum Iudæorum & nostrum. Sed nunquid ex eo accusandi, qui ex ipsismet scripturis vnum esse & eundem Deum Iudæorum & Gentium ostendunt? vt etiam Paulus è Iudæis ad Christianismum assumptus, apertè dixerit, Gratiam habeo Deo meo, cui seruio à progenitoribus in conscientia pura. Esto verò „ tertium aliquod genus eorum, qui nominantur partim a- „ nimales, partim spirituales. Opinor autem ipsum loqui de Valentini & Titi sectatoribus. Quid ad nos Ecclesiæ studiosos, qui accusamus introducentes naturas ab origine saluas, aut perditas? Extiterunt etiam alij, se Gnosticos, q. scios & eruditos appellantes, qui quandam habent cóuenientiam cum Epicureis, se Philosophos salutantibus. At qui prouidentiam tollunt, verè non sunt Philosophi, „ neque qui figmenta à veritate abhorrentia, miniméque Ie- „ su successoribus placentia inducunt, sunt Christiani. Blas- „ phemant autem (inquit) in se inuicem isti, in séque rege- „ runt fanda nefandáque, grauia & indigna, nihilque sibi concedunt, vt consentiant se inuicem modis omnibus o- „ dio prosequentes. Ad hæc iam responsum, etiam in Philo- „ sophia reperiri sectas cum sectis dimicantes: item in Me- „ dicina. At qui Iesu verbum sequuntur, ipsiúsque sermones H curant, sapiunt, dicunt, faciunt (illud Apostoli) conuitiis affecti benedicimus, persecutionem passi sustinemus, blasphemati obsecramus. Neque alia opinantes quàm quæ accepimus, fandis nefandísque oneramus, sed omnia agimus quatenus valemus, ad ipsos in melius conuertendos, quoniam in solum opificem intendimus, & omnia gerimus velut in iudicium venturi. Quibus si minimè persuademus, opponimus Paulum sic imperantem, Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem deuita, „ sciens, quia subuersus est huiusmodi, & peccat, cùm sit suo „ iudicio condemnatus. Præterea qui cogitant illud, Beati „ pacifici: item illud, Beati mites: Christianam doctrinam adulterantes hæreticos nequaquam odio prosequentur.

Ophiani Caiani.

** Hæc nō sequuntur in libris qui hodie extant cōtra Celsum.*

Tit. 3.

Matt. 5.

CONTRA PHILOSOPHOS DICENTES NIHIL INTERESSE QUO NOMINE SUMMUS DEUS APPELLETUR, GRÆCÓNE IUPITER, AN ALIQUO ALIO, VERBI GRATIA, INDICO AUT AEGYPTIO.

CAP. XVII.

E primo & quinto tomo contra Celsum.

I POSTEA Celsum: Apostoli (inquit) „ & pastores intellexerunt Deum, siue „ Altissimum, siue Adonæum, siue cœ- „ lestem, siue Sabaoth, siue alio nomi- „ ne quocunque eum appellent, no- „ minantes hunc mundum, nihílque „ præterea cognouerunt. Deinde nihil referre ait, siue appellemus supremum Deum, Iouem, nomine apud Græcos iactato, siue alio, verbi causa, apud Indos vel Aegyptios vsitato. Ad ista dicendum, disputationem profundam & arcanam de natura nominum in propositum incidere, Vtrum, vt putat Aristoteles, nomina significent ex hominum instituto, an, vt Stoicis videtur, natura, prius vocibus res, quarum sunt nomina, æmulātibus. In quam sententiam etiam adducunt quædam Etymologiæ elementa, an alio modo, vt docet Epicurus, aut, vt sentiunt Stoici, natura sunt nomina, enuntiantibus primis hominibus quasdam voces pro rerum exigentia. Ergo si in proposita disputatione possumus efficacium nominum naturam afferre, quibus vtuntur Aegyptiorum sapientes, aut apud Indos doctissimi, aut apud Persas Magorum philosophantes Brachmanes Somanæíve, istúdque secundum vnamquamque gentem efficere valemus, Magiam, quam vocant, non esse rem inconstantem, miniméque omnium

K cohærentem, vt opinantur Aristotelici & Epicurei, sed vt eius periti demonstrant, constantissimam, habentem tamen rationes paucis admodum cognitas: tunc asseremus nomen Sabaoth, Adonai, & his similia alia apud Hebræos multa illustri eruditione tradita, non de quibuslibet & creatis rebus dici, sed de Theologia quadam arcana, quæ ad vniuersorum opificem refertur: Quocirca etiam hæc nomina posse vsurpari cum aliqua cohærentia, & ratione ipsis congruente: At alia voce Aegyptiorum enuntiata de quibusdam dæmonibus, qui dęmonica possunt, & alia voce Indorum de aliis virtutibus siue potestatibus, sicque in singulis gentibus, ad quosdam vsus assumi. Atque ita inuenientur dæmonum supra terram diuersa loca obtinentium nomina, pro locorum & gentium linguæ proprietate vsurpari. Itaque qui præstantius ingenium, & tenuem istorum notitiam est consecutus, verebitur alia nomina aliis rebus adaptare: ne similis sit iis qui per errorem Dei nomen in materiam inanimam conferunt, aut boni appellationem à prima causa, aut à virtute, aut ab honesto ad cęcum Plutonem, & in sanitate atque bona habitudine ad carnis & sanguinis & ossium symmetriam vel celebratam nobilitatem referunt. Ac fortassis non minus periculosè nomen Dei ad ea quæ non oportet, refertur, quàm arcanæ rationis nomina immutantur, & deteriora pręstantioribus tribuuntur, & contrà præstantiora deterioribus. Vt præteream, quòd statim cũ Ioue intelligitur Saturni & Rheæ L filius, Iunonis vir, Neptuni frater, Mineruæ & Dianæ pater, qui cum filia Proserpina rem habuit, cum Apolline simul concipitur Latonæ & Iouis filius, Dianæ frater. Sic de aliis omnibus quæ feruntur à sapientibus dogmatum Celsi patribus, & priscis Gręcorum Theologis. Nam quid causæ esset, cur Iuppiter quidem nomen esset proprium, & in simplici atque propria significatione sumeretur, Saturnus autem pater, & Rhea mater in tropica & figurata? Simile faciendum & in aliis qui nominantur dij. Hæc autem obiectio nullo modo attingit arcana vlla ratione eos, qui nomen Sabaooth, aut Adonai, iisue similia Deo attribuunt. Porrò cùm quis de nominibus philosophans, poterit arcana explicare, multa inueniet etiam de Angelorum Dei appellatione, quorum vnus Michaël, alter Gabriel, alius Raphaël vocatur, accommodato ad res nomine, quas administrant in Vniuersitate, Dei omnium rerum effectoris voluntate atque imperio. Præterea ad similem de nominibus Philosophiam pertinet etiam noster Iesus, cuius nomen ab infinitis iam efficaciter cernitur dæmonas expellere ex animis & corporibus, operans in illos, à quibus discesserunt. Præterea hoc de nominibus loco dicendum, quod artis incantationum periti narrant, eandem incantationem sua lingua recitatam operari, quod incan- M tator enuntiat, in aliam quancunque vocem transfusam, sine effectu & efficacia percipi. Sic non ea quæ significantur de rebus, sed ipsæ vocum qualitates & proprietates, in seipsis habent aliquam ad ista aut illa potestatem. Atque ita rationem afferemus, cur vsque ad mortem certēt Christiani, ne Iouem Deum appellent, ne etiam vlla alia lingua ipsum denominent. Nam aut indefinitè confitentur commune nomen Deus, aut etiam adiiciunt, vniuersorum opifex, cœli & terræ effector, qui misit ad humanum genus hos sapientes, quorum nomini adaptatum Dei nomen virtutem quandam apud homines explet & absoluit. Multa etiã alia de nominum ratione tractari possunt aduersum eos, qui oportere putant se habere indifferenter circa eorum vsum. Atqui si admiratur Plato in Philebo, dicens, “ Non paruo metu, Protarche, afficior erga Deorum nomi- “ na, quoniam Philebus disputans cum Socrate, volupta- “ tem Deum dixerat: quanto maiore reuerentia Christianos nullum nomen in fabulis vsurpatum, Deo vniuersitatis opifici accommodantes, suscipiemus?

2. Ratio.

Nomen Iesu efficax.

Hæc etiam de eadem re quinto tomo habentur.

QVONIAM Celsus opinatur nihil referre, Iouē ne vocemus Altissimum, aut Adonæon, aut Sabaoth, aut cum Græcis Ζῆνα, aut vt Aegyptij, Amunta, aut vt Scythæ, Papæum, age etiam de iis

A iis pauca disseramus, in memoriam reducentes auditori ea quæ superiùs de huiusmodi quæstione disputata sunt, præsertim cùm Celsi oratio nos istuc vocauerit. Nunc igitur affirmamus nominum naturam minimè positam in imponentium legibus, vt quidem sensit Aristoteles. Nam ab hominibus hominum sermones minimè habent principium, quemadmodum norunt ij qui possunt attendere ad incantationum naturam, pro diuersis linguis & sonis à sermonum auctoribus accommodatarum, de quibus pauca superiùs tractauimus, docentes ea, quæ solent valere in aliqua lingua, si in aliam transferantur, non adhuc efficere quæ in sua lingua & voce efficiebant. Iam autem etiam in humanis huiusmodi reperitur. Nam aliquem certo nomine Græca lingua ab origine appellatum, si transmutemus in Ægyptiam, aut Romanam, aut alterius populi vocem, non efficiemus, vt patiatur aut faciat, quæ passurus facturúsve erat, retinens primam nominis sui impositionem. Sed neque si aliquem à principio, Romanorum voce nominatum, Græco sermone exprimamus, quod facere enũtiabat incantatio, nomen primo attributum retinens, consequemur. Si ergo quæ de humanis nominibus dicuntur, sunt vera, quid existimandum de nominibus ob quamcũque causam in deum relatis? Nam, exempli gratia, apud Græcos intelligitur aliquid Abrahæ nomine, significatur aliquid Isaac appellatione, declaratur quippiam vocabulo
B Iacob. Certè si inuocans aut iurans, deum Abraham, & deum Isaac, & deum Iacob nominet, certum aliquid efficiet, siue propter nominum naturam, siue etiam virtutem, dæmonibus victis, & ista cõmemoranti subiugatis. Quòd si appellet Deum Patris electi vocis, & deum risus, & deũ supplantatoris, nihil ista appellatione consequetur, vt nec alia quæ nullam habent potestatem & virtutem. Idem iudicium, si Israëlis nomen transferamus in Græcum, aliúmve sermonem. Quòd si ipsum retinuerimus, iis adhibentes quæ illarum rerum periti solent coniungere, tum aliquid iuxta appellationum enũtiationem linguæ propriam existet. Idem asseuerabimus de voce Sabaoth, sæpè in adiurationibus vsurpata: quoniam hoc nomen translatũ in deus virtutum, aut Deus exercituum, aut Omnipotẽs (nam tam variè exposuerunt interpretes) nihil consequemur: sin retineamus, aliquid consequemur, quemadmodũm istorum periti docent. Eadem ratio vocabuli Adonai. Ergo si neque Sabaoth, neque Adonai, translata in ea quæ videntur significare voce Græca, efficiunt aliquid, quanto minus efficient, aut valebunt apud eos, qui nihil putant referre, siue Iouem altissimum vocemus, siue Ζῆνα, siue Adonai, siue Sabaoth. Hæc sanè & his similia arcana intelligentes Mo-
C ses & Prophetæ prohibent nomen deorum alienorũ nominare ore, quod deo summo supplicare meditatur, atque recolere corde, quod se ab omni cogitationum & verborũ stultitia magno studio expurgat. Quocirca omne supplicium sustinere malumus, quàm Iouem deum confiteri. Neque enim eundem esse existimamus Iouem, & Sabaoth: sed neque omninò numẽ aliquod esse Iouẽ, sed dęmonem aliquem, qui sic nominari gaudeat, neque amicum hominibus, neque vero deo. Quòd si Ægyptij nobis Amuntem prætendant, mortem comminantes, moriemur potiùs quã Amuntem deum salutemus, dæmonem, vt probabile est, in quibusdam incantationibus, quæ vocantur Ægyptiæ, assumptum. Dicant etiam Scythæ Papæum deũ rebus omnibus pręposítũ. At nos minimè id credimus. Ponimus quidem deum supra omnia, sed vt amicũ hominibus, Scytharum solitudinem & gentem & linguam sortitis, deũ, quasi proprio nomine Papæum, minimè nominamus. Scythicè enim & Aegyptiacè, & in omnibus linguis, in qua quisque fuerit educatus, appellatiuum dei nomen vsurpari duntaxat potest citra peccatum & errorem. Cæterùm neque Apollinem solem, neque dianam lunã appellamus, sed purã in deum opificem pietatem excolentes, & præclara ipsius opera celebrantes, ne nomine quidẽ tenus diuina polluimus, recipientes Platonis in Philebo sententiam, qui non vult voluptatem deum admittere. Talis est (inquit) meus timor Protarche circa deorum nomina. Nos autem reuera formidamus aliquid circa Dei & præclarorum ipsius o- D
perum nomen committere, ita vt pretextu tropologiæ fabulam aliquam in iuuentutis damnum atque corruptelam minimè recipiamus.

Marg.: τ ἐπῳδῶν.

Marg.: Exod. 23.

Marg.: Iuppiter Dæmon, non Deus.

Marg.: Deus appellatiuè.

CONTRA GRAECORVM PHILOSOPHOS *omnia se scire prædicantes, & incusantes simplicem, parúmque curiosam multitudinis Christianæ fidem, velut etiam anteponentis sapientiæ stultitiam. Item quòd nullus sapiens aut eruditus discipulus Iesu effectus est: sed vel nautæ, vel publicani nequissimi, stolidos & insipientes, mancipia & mulierculas & puerulos prædicatione subiicientes.*

CAP. XVIII.

E tomo primo & tertio contra Celsum.

Postea cohortatur (Celsus) eos qui rationem « sequuntur, ratione duce excipere dogmata, « atque si omninò fraus ei fieret, qui aliter ali- « qua approbat. Quin & temerè & citra ra- « tionem credentes similes facit zonariis cir- « culatoribus, prodigiorúmq; inspectoribus, E & Mithris atque Sabaziis, & quibuscunque Hecatæ aut alterius dæmonis, aut dæmonum spectris. Vt enim in illis sæpè improbi homines in rude simplicium, qui facilè decipiuntur, ingenium sese insinuantes, eos quò volunt, ducunt: sic (inquit) & in Christianis. Addit quosdam accipere aut reddere rationem eorum nolentes, quæ credunt vti hac & simili sententia, Ne inquiras, sed crede, & fides te « tua saluum faciet. Adiungit ipsos vitæ sapientiam malum, « stultitiam bonum dicere. Ad quæ respondemus. Si omnes possent relictis vitæ negotiis & occupationibus, Philosophiæ vacare, vlla alia via némini est amplectenda. Inuenietur enim etiam in doctrina Christiana non minor, vt graue aliquid dicam, rerum fide perceptarum inuestigatio, & Propheticorum ænigmatum, & Euangelicarum parabolarum, & infinitarum aliarum rerum symbolicè gestarum, vel lege sancitarum enarratio. Quòd si istud est arduum nimis, partim propter vitæ necessitates, partim propter hominum imbecillitatem, valdè paucis ad ratiocinationem contendentibus, quænam alia via melior ad plurimos iuuãdos reperietur, quàm quæ à Iesu gentibus est tradita? Quærimus de multitudine credentium, qui effusam prauitatis copiam, in qua antea volutabantur, abiecerunt, nũ sit potiùs, quòd citra rationis discursum credendo, mores ad moderationem reduxerunt, & vtilitatẽ indè perceperunt, quia fidem prædicationi de præmiis suppliciisque F ob virtutes & scelera paratis accommodarunt, quàm si ipsis inuideamus conuersionem, priusquàm se diligenti rerũ pr dicatarũ inquisitioni dederint. Perspicuè enim nemo, prẹter admodum paucos, istud post diligentẽ inquisitionẽ consequetur, quod illi simplici fide sunt consecuti, sed in improba hominũ vita permanebit. Quod sanè, si quicquam aliud, efficit Verbum dei magna benignitate, nõ impiè in hanc hominum vitam descendisse, atque id inter beneficentiæ dei opera esse numerandum. Nam prius corporum medicum multos ægros ad meliorem statum perducentem venisse impiè in vrbes & gentes minimè existimabit: Nam bonũ & vtile hominibus impiè non efficitur. Si igitur qui curat multorum corpora, aut ad meliorem statum perducit, non impiè curat, quanto minus qui multorum animas conuertit, & meliores reddit, ipsas Deo supremo conciliat, omnem actionem referre docet ad ipsius beneplacitum, & omnia declinare, quæ Deo displicent, etiam vsque ad minima dicta & facta aut etiam cogitata, impiè faciet? Deinde quoniam de fide tumultuantur, fatemur eam tanquam multis vtilem, docere & credant etiam citra rationem allatam, qui nequeunt omnia comprehendere, & rationis disquisitione consequi. Id isti verbis minimè concedentes, operibus admittũt. Conuersus enim ad Philosophiam, & sortitò se ad certam

Marg.: Mithra & Sabazij sacerdotes erãt Solis & Bacchi.

Marg.: De fide citra rationem concepta.

G Philosophorum sectam applicans, aut ad certi doctoris disciplinam, nunquid non aliter ad id peruenit, quàm credendo istiusmodi sectam esse præstantiorem? Nam non sustinet audire omnium Philosophorum & diuersarum sectarum rationes, horum quidem refutationem, istorum verò confirmationem, vt sic postea eligat esse Stoicus, aut Platonicus, aut Peripateticus, aut Epicureus, aut alterius cuiusuis Philosophorum hæresis. Verùm quodam rationis experte impetu, etiámsi id nolit confiteri, accedit ad Stoicam disciplinam relictis cæteris. Platonicam contemnit, vt aliis humiliorem & abiectiorem: Peripateticam, vt nimis humanam, & præ cæteris humanè celebrantem humana bona. Quin & perturbantur aliqui, dum incurrunt in rationem de prouidentia ex iis quæ super terram probis & improbis contingũt, & nimis temerè assentiuntur nullo modo esse prouidentiam, atque Epicuri & Celsi rationem amplectuntur. *Celsus Epicureus.* Si igitur inter Græcos & Barbaros eis credendum, vt ratio docuit, qui sectas introduxerunt, quãto magis supremo Deo, ipsúmque dicentem solum colere? cætera autem vt non existentia, aut existentia quidem, honore digna, non tamen adoratione & veneratione, negligere? De quibus non modò credens, verùm etiam ratione contemplans res ipsas, demonstrationes sibi occurrentes, à séque multa inquisitione inuentas afferet. Præterea quo quo pacto non magis est consentaneum, cùm cuncta humana ex fide pendeant in illis potius Deo credere? Quis e-
H nim nauigat, quis vxorem ducit, quis libris dat operam, quis semina iacit in terram, nisi meliora sperans se consecuturum: cùm tamen fieri possit, vt contraria eueniant, & aliquando id fiat? At fiducia de meliorum optato euentu audere, & niti facit omnes, etiam in incerta, & quæ aliter possunt euenire. Si autem vitam continet in omni incerta actione, quomodocunque accidat, spes & fides, quæ est de futuris, quomodo non ipsa meritò potius à fideli, qui Deo credit, concipietur, quàm ab eo qui mare nauigat, terram serit, & reliqua humana opera exercet: cùm præsertim Deus sit istorum omnium fabricator, & Christus exuberante animi magnitudine, & diuina mentis constantia, ausus sit hanc rationem docere vniuersos orbis habitatores, magnis periculis atque morte, vt putatur, infami, quæ pro hominibus sustinuit, docens etiam ministros, suæ disciplinę initio persuasos, cum periculis & semper imminentibus necibus, magno ausu totum orbem pro hominũ salute peragrare. Dicat verò nobis Christianæ fidei accusator, quibus demonstrationibus compulsus, multas extitisse cõflagrationes admiserit, multas eluuiones, item omnium postremam eluuionem sub Deucalione, deflagrationem sub Phaëtonte. Si prætendat Platonis de his rebus Dialogos, retorquebimus, etiam nobis licere credere pura
I & pia mente Mosi, qui omnia creata transcenderit, Deo rerum opifice seipsum accommodante, & quasi suspendente, qui & per diuinum spiritum diuina expresserit multò euidentiùs & efficaciùs, quàm Plato & sapientes apud Græcos & Barbaros. Si à nobis requirit istius fidei rationes, det prior, de quibus ipse citra demonstrationem affirmauit: deinceps nos nostra sic se habere confirmabimus. Sint Celso fabularium de conflagrationibus & inundationibus doctores Aegyptij, ipsius iudicio sapientissimi, quorum sapientiæ vestigia sunt bruta animantia ab ipsis culta, & rationes ostendentes consentaneum, vt istiusmodi Dei cultus sit reconditus atque mysticus. Et Aegyptij quidem de animalibus magnificè sentientes, si suæ Theologiæ rationem afferant, habentur sapientes. Si autem Iudæus aliquis legi consentiens & legislatori, omnia in vniuersorum opificem & solum Deũ refert, inferior esse Celso, & istius metalli similibus videtur Aegyptio, non modò ad rationalia & animantia mortalia, verumetiam bruta reducenre deitatem: vt præteream solemnem in corpora animarum immigrationem, de cœli orbibus decidentium, & ad bruta vsque animalia, non solùm mansueta, sed & agrestissima descendentium. Et quidem Aegyptij si fabulando nugantur, creduntur philosophati per ænigmata & arcana: Moses autem si toti genti historiam conscribens, etiam ipsi le-

ἀναχεχωρηκῆαν lego, vel ἀναχεχωρηκέναι.

ges relinquat, inanes existimantur fabulæ, sermonibus K ipsius nullam allegoriam recipientibus. Id enim Celso & Epicureis videtur. Cùm deinde Celsus hæc verba adiicit, Si igitur respondere mihi velint, vt experto. Cuncta enim noui, &c. Dicendum id, Cuncta enim noui, arrogantissimè & audacissimè ab ipso pronuntiatum. Nam si legisset maximè Prophetas, indubitatis ænigmatibus & obscuris vulgo sermonibus plenos: si incidisset in Euangelicas parabolas, reliquam legẽ, iudaicæ historiæ scripturam, Apostolorum voces, & candido animo legens penetrare voluisset in orationis intelligentiam, nõ vsqueadeò audacter exultasset, neque dixisset, Cuncta enim noui: vt neque nos in talibus versati dixerimus, Cuncta enim noui. Amica enim veritas. Nullus nostrum dicet, Omnia Epicuri noui. Nemo nostrum audebit se cuncta Platonis nosse affirmare, prę̨sertim cùm tot sint diuersæ sententiæ etiam apud eòs, qui illa interpretantur. Præterea quis ita audax, vt prædicet se omnia nosse Stoicorum aut Peripateticorum, nisi fortasse audiens idiotas suæ inscitiæ minimè conscios, iactantes apud se huiusmodi verba, illis veluti doctoribus vsus, se omnia scire existimet? Videtur autem mihi perinde agere, ac si quis in Aegyptum profectus, vbi sapientes Aegyptij secundum patrias literas multum philosophantur de diis suis, idiotæ autem auditis quibusdam fabulis, quorum ignorant rationes, magna de ipsis sapiunt, arbitretur se omnia Aegyptiorum scire, ab ipsorum idiotis duntaxat instructus, & cum nullo sacerdotum congressus, L vt ab eorum aliquo Aegyptiorum mysteria disceret. Quæ dixi de Aegyptiorum sapientibus & idiotis, licet etiam de Persis commemorare, apud quos mysteria ab ipsorum eruditis & sapientibus ratione & mente coluntur, à plebeiis, & rudioribus quodã fiunt symbolo. Idem de Syris, Indis, cæterísque & fabulas & res habentibus pronuntiandum. Quoniam verò Celsus posuit, tanquam à multis Christianis dictum, vitæ sapientiam esse malum, stultitiam bonum: vt respondeam, sententiam calumniatur, eam apud Paulum sic positam non exponens: Si quis videtur sapiens esse in vobis in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens. *1. Cor. 1.* Nam sapientia mundi huius, stultitia est apud Deum. Igitur Apostolus non simpliciter asserit, sapientiam stultitiã esse apud Deum, sed sapientiam mundi huius. Rursum non simpliciter, Si quis videtur sapiens esse in vobis, stultus fiat: sed in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens. Ergo sapientiam seculi huius dicimus, omnem falsæ opinionis Philosophiam, inanem secundum Scripturas effectam, & stultitiam asseueramus bonum non quidem absolutè, sed cùm quis huic seculo stultus efficitur. Vt si Platonicum credentem animam esse immortalem, & immigrare in corpora, stultum dicamus respectu Stoicorum M hanc sententiam refellentium, & Peripateticorum Platonis portenta iactitantium, & Epicureorum superstitionem attribuentium introducentibus prouidentiam, & Deum præficientibus vniuersitati. Præterea iuxta rationis dictamen multum differre, cum ratione & sapientia concircumstantiis rationem postulare, fide: Item id seruatis sentire dogmatibus, aut cum pusilla ne planè sine fructu relinquantur homines, declarat germanus Iesu discipulus Paulus, his verbis: Quoniam enim in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Perspicuè igitur his declaratur, per sapientiam Dei cognoscendum fuisse Deum. At quóniam non sic factum est, alterum Deo placuit, saluos facere credentes non simpliciter per stultitiam, sed per stultitiam prædicationis. Inde enim prędicatus Iesus Christus crucifixus, prędicationis est stultitia: vt & sibi consentiens Paulus inquit,

« Nos autem
« prædicamus Christum crucifixum, Iudæis qui-
« dem scandalum, Græcis autem stultitiam:
« ipsis verò vocatis Iudæis & Græcis,
Christum Dei virtutem &
Dei sapientiam.

Et sub

A *Et ſub extremum primi illius tomi, De eo, quòd nullus ſapiens aut eruditus Chriſti diſcipulus eſt effectus, iſta ponit.*

QVI poſſunt prudenter conuenientérque, quę circa Apoſtolos Ieſu facta ſunt, inquirere, eos vident diuina virtute doctrinam Chriſtianam docuiſſe, & hominis verbo Dei ſubieciſſe. Neque enim dicendi eorum facultas, & elocutionis iuxta dialectica & rhetorica artificia diſpoſitio audientes ſubiiciebat. Vt mihi autem videtur, ſi aliquos vulgi ſententia ſapientes, & ad intelligendum atque dicẽdum idôneos, multitudini placentes Ieſus collegiſſet, iiſq; ad ſuæ doctrinæ prædicationem fuiſſet vſus, meritò certè inſtitutionem Philoſophorum primas in aliqua ſecta tenentium ſecutus iudicatus fuiſſet, nec amplius diuini verbi prædicatio videretur: quippè cùm verbum & prædicatio eſſent in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, & ſapienti dictionum collocatione: fides etiam eſſet ſimilis fidei Philoſophorum mundi, qui ſua proponunt dogmata in ſapientia hominum, & non Dei virtute. At nunc quis

σοφοὺς lego.

B cernens piſcatores & publicanos, qui ne quidem primas literas didicerunt, vt de ipſis ſcribit Euangelium, & Celſus credidit, fidem facilè accommodans teſtantibus ipſorum imperitiam, confidenter non modò cum Iudæis loqui de fide in Ieſum, ſed & in reliquis gentibus ipſum prædicare, & perficere, non quæſierit, vnde ipſis hæc perſuadendi facultas atque virtus? Non enim ea eſt, quæ ineſſe ſolet multis. Quis ergo negabit, quin Ieſus, dum diceret, Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum: diuina aliqua virtute Apoſtolos impleuerit? quam Paulus circumſcribens, vt in ſuperioribus diximus, inquit, Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanę ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, nè fides veſtra ſit in hominum ſapientia, ſed in Dei virtute. Nam prophetæ de Euangelij prædicatione prænuntiant, dominus dedit verbum euangelizantibus virtute multa. Rex virtutum dilecti: vt Prophetia hęc, donec velociter currat ſermo eius, adimpleatur. Ac videmus quidem, vt in omnem terram exiuit ſonus Apoſtolorum Ieſu, & in fines terræ verba eorum, ideò virtute plena ſunt verba cum virtute auditoribus prædicantis, quam moribus & vita etiã vſque ad mortem pro veritate certare parata oſtendunt.

At vani quidam ſunt, qui quamuis Deo per Ieſum credere prædicent, diuina carent virtute, etiamſi adduci verbo dei

Ioan.10. videantur. Quanquam autem ſuprà meminimus Euangelici dicti à Saluatore pronuntiati, nihilominus etiam nunc ipſo opportunè vtar, ad oſtendendam Saluatoris

C noſtri de Euangelij promulgatione prouidentiam, atque prædictionem diuiniſſimam, & verbi vim, abſque doctoribus credentes diuina virtute ſuperantem. Ait igitur Ieſus

Ioan.4. Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate autem dominũ meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Porrò quoniam infames nominauit homines publicanos & nautas nequiſſimos Celſus apoſtolos Ieſu, de hoc etiam dicamus: quandoquidem videtur, vt quidem accuſat, verbo credere Euangeliis: Ne autem recipiat apertam diuinitatem iiſdem libris comprehẽſam, non credere, cùm eum, qui ſcribentes cernit veritatis fuiſſe ſtudioſos, è deterioribus credere etiam diuiniora oporteat. Scribitur in Epiſtola

Catholica D. Barnabæ. Barnabæ Catholica, quod fortaſſè Celſus arripuit, dixítque Apoſtolos eſſe infames & nequiſſimos, Ieſum ſuos elegiſſe Apoſtolos omni iniuſtitia iniuſtiores. Et in Euangelio ſecundum Lucam ad Ieſum ipſe Petrus: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine. Quinetiam Paulus ad Timotheum, etiam ipſe poſtea Apoſtolus Ieſu effectus: Fidelis ſermo, quia Ieſus Chriſtus venit in mundum ſaluos facere peccatores, quorum primus ego ſum. Sed quid hîc eſt abſurdi, cùm velint oſtendere humano generi Ieſum, pro ea maxima ſaluandi animas cura, quam habet, infames & nequiſſimos collegiſſe, & ad id adduxiſſe, vt eſſent morũ & D vitæ puriſſimæ iis, qui per ipſos ad Chriſti Euangelium perducebantur, exemplar. Quod ſi ob vitam ante actam in melius conuerſis exprobrare licet, opportunè etiam accuſabimus Phœdonem Philoſophum. Nam, vt hiſtoria narrat, ipſum è proſtibulo ad vitam Philoſophicam traduxit Socrates. Sed & Polemonis, qui Xenocrati ſucceſſit, intemperantiam, & quidem poſt inſtitutum Philoſophicũ, probro notabimus, cum poti⁹ illic oporteat laudare, quòd perſuadendi ratio à tantis malis potuerit eos conuertere, qui illa iam fuerant amplexati. Apud Græcos certè vnus Phædo (neque enim ſecundum noui) & vnus Polemon, ab intemperanti & improbiſſima vita conuerſi, Philoſophiæ inſtitutum tenuerunt: At apud Chriſtianos non ſolum duodecim, verumetiam quamplurimi, qui temperãtium chorus euadentes, de prioribus aiunt, Fuimus enim aliquando & nos inſipientes, inobedientes, errantes, ſeruientes concupiſcentiis & voluptatibus multis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, inuicem odio habentes. Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri dei, per lauachrum regenerationis & renouationis ſpiritus, quem effudit in nos, tales effecti ſumus. Emiſit enim Deus verbum ſuum, & liberauit eos è corruptionibus eorum, vt in Pſalmis prædictum eſt. Atque hæc iis quę dicta E ſunt, adiecerim, quòd Chryſippus libro de affectuum curatione, humanas animorum perturbationes coërcere conatur, non diſſimulans quale ſit veritatis dogma, pro differẽtibus ſectis homines affectibus & perturbationibus occupatos curare: & inter cætera ait, Si voluptas pro fine proponitur, affectus ad hunc modum ſunt curandi. Et ſi tria bonorum genera, nihilominus etiam hac ratione à perturbationibus & affectibus his implicatos ſic liberare oportet. Vituperatores autem Chriſtianæ religionis non cernunt, quorum affectus, quorum effuſa improbitas reprimitur, quorum agreſtes mores ſedantur, verbi ſpecie & occaſione, cui ipſos propter communicationis officium vt noua methodo à multis malis homines ipſos transferenti, oportebat gratias agere, ipſíque teſtimonium perhibere, ſi non ratione veritatis, at vtilitatis erga hominum genus. Quoniam verò Ieſus docens diſcipulos minimè leues & temerarios, dicebat, Si perſecuti vos fuerint in hac ciuitate, fugite in alteram: & ſi in altera vos perſequantur, fugite rurſus in aliam. Ac ſeipſis proponebat exemplum benè conſtitutæ vitæ, quæ certa diſpenſatione non ſe temere, neque intempeſtiuè & citra rationem obiicit periculis.

Id rurſum malitioſè interpretans Celſus calumniatur, atque apud pſum Iudæus ad Ieſum loquitur, Quid cum diſcipulis huc illuc fugitas? Quid te adhuc infantem oportebat in Aegyptum deferri, ne iugulareris? Nefas enim deũ F de nece metuere: & cæt. Nos autem Domino Ieſu credẽtes de ſua diuinitate aſſerenti, Ego ſum via & veritas & vita: & ſi qua his ſimilia: præterea ſe habere humanum Ioan.10. corpus aſſeueranti, Nunc quæritis me interficere, hominẽ, qui veritatem vobis nuntio: compoſitam aliquam rem ipſum extitiſſe profitemur. Ita non oportebat proſpicientem ſuum, tanquam hominis, in hanc vitam aduentũ, intempeſtiuè adire mortis periculum: Imò verò oportebat ipſum etiam à ſuis nutritiis deduci in Aegyptum, diuini Angeli diſpenſatione & monitu. Ergo quid abſurdi, eum qui ſemel fuerat corporatus, humana ratione & modo regi, declinatis periculis? non quia aliter poterat iſtud geri, ſed quia oportebat, quatenus fas, via & ordine de Ieſu ſalute diſpenſari. Et ſanè ſatius erat puerulum Ieſum cedere Herodis inſidiis, ac cum parentibus peregrè in Aegyptum proficiſci vſque ad inſidiantis mortem, quàm quantum in nobis eſt, prouidentiam de Ieſu prohibere, cupiente Herode puerulum de vita tollere: aut celebratam apud Poëtam Platonis galeam, vel aliquid ſimile, circa Ieſum ponere: aut percutere cæcitatem, queadmodum olim Sodomitas eos, qui ad eius necem properabant.

Ioan.9.

Nam Dei de ipſo cura & auxilium valde mirabile, & cõmunem modum ſuperans, nimíſque perſpicuum, non erat vtile, quoniam ipſe ſtatuerat, vt homo à Deo teſtimonium

τῷ lego, non τὸ.

G habens, docere habere se aliquid diuinius in ipsa conspecta humanitate: ꝙ quidē erat ꝓprius dei filius, deus verbū, deus virtus & potētia, dei sapientia, qui vocatur Christus. Sed nunc non opportunum eius compositionem, & ea ex quibus corporatus Iesus constiruitur, exponere: quippè aliqua est, & vt sic loquar, propria inquisitio credenribus, alteri loco consentanea. Similem aurem calumniam huic, quæ conrra Iesum & eius discipulos regeritur, esse dicemus id quod narratur de Aristotele. Iste conspicatus Senatum aduersum se cogi, vt conrra hominem impiè sentientem, propter aliqua disciplinæ suæ placita, quæ pro impiis habebantur ab Atheniensibus, Athenis excedens, in Chalcide commoratus est: se excusans apud familiares & notos, Atque dicens: Athenas relinquimus, ne occasionem præbeamus Atheniensibus alterum facinus audendi, quale in Socratem, & ne iterum in Philosophiam sint impij.

Aristotelis fuga.

Tertio tomo operis contra Celsum.

POST hæc Celsus, à paucis admodū qui habētur Christiani, non quidem sapientiores, vt iste arbitratur, sed indoctissimi, dicta præter Iesu doctri-
H nam proferēs, ait ab ipsis ista imperari:
» Nullus accedat doctus, nullus
» sapiens, nullus prudens. Mala e-
» nim ista apud nos existimantur. At si quis imperitus, si
» quis insipiens, si quis indoctus, si quis est infans audens
» adsit. Hoc enim dignos esse suo Deo his verbis confitē-
» tes perspicuè, solos stultos & ignobiles, & sensu carentes
» & mancipia, & mulierculas, & puerulos, ad fidem perdu-
» cere se velle & posse declarant. Ad ista respōdemus. Quē-
Matth. 5. admodum Iesu docente temperantiam, & dicente, Si quis conspexerit mulierem ad concupiscendum, iam cum ipsa mœchatus est in corde suo: qui considerat paucos aliquos è tam multis qui Christiani censentur, intemperanter viuentes, iure quidem optimo eos accusabit aliter viuentes, quàm Iesu disciplina imperat. At ineptissimè fecerit, si illius culpam sermoni Christi adaptet. Sic si nihilominus inueniatur Christianorum sermo ad sapientiam cohortans, culpandi erunt, qui suæ imperitiæ suffragantur, & aiunt, non ea quidem quæ Celsus ascripsit (non enim sic impudēter, tametsi rudes & indocti extiterint, loquuntur) sed alia multo minora, & à sapientiæ studio dehortantia.

Iam quod nos esse sapientes diuinus sermo velit, demonstrandum & è veteribus & Iudaïcis literis, quibus etiam nos vtimur, non minus autem etiam è literis post Iesum
I scriptis, & in Ecclesiis esse crediris. Scriptum est quinquagesimo Psalmo, Dauidem in sua ad Deum prece dice-
» re, Incerta & occulta cordis mei manifestasti mihi. Ac si
» quis inciderit in Psalmos, reperiet librum multis & sapiētibus dogmatibus atque sententiis plenum. Præterea Salomon, sapiens, quoniam sapientiam quæsiuit, declaratus effectúsque est. Eius sapientiæ vestigia licet in ipsius scriptis cernere, magnam habentia sub verborum breuitate intelligentiam: in quibus etiam inuenies multas sapientiæ laudes, multas cohortationes, quòd sapientiam assequi oporteat. Adeò ille erat sapiens, vt etiam regina Saba, eius & Domini audito nomine, venerit exploratum
3. Reg. 8. ipsum ænigmatibus: quæ & locuta est ipsi quæcunque
» habebat in corde suo, & explicauit ipsi Salomon omnia
» verba eius. Nullum erat verbum despectum à Rege, quod
» non explicaret ei. Et vidit regina Saba vniuersam sapien-
» tiam Salomonis, & quæ secundum ipsum & ab ipsa fie-
» bant, dixitque Regi: Verus sermo, quem in mea terra de
» te audiui, & de sapientia tua, nec credidi narrātibus mihi,
» donec ipsa adessem, & viderent oculi mei. Et ecce non
» est sicut nuntiauerunt mihi: dimidio auxisti sapientiam,
» & his maiora bona, supra omnem auditionem audiui.
» Scribitur profectò de ipso: Et dedit Dominus sapientiam
» Salomoni, & prudentiam multam valdè, & effusionem cordis, sicut arena maris, & repletus est sapientia Salo- K
mon valdè supra omnium antiquorum prudentiam, & supra omnes prudentes Ægypti, sapientiáque excelluit cunctos homines: & quæ sequuntur. Ita Dei verbum vult in credentium numero esse sapientes, adeò vt ad auditorum intelligentiam exercendam, alia ænigmatibus, alia oratione quæ vocatur tenebrosa, nonnulla per parabolas, aliqua per problemata enuntiet. Sed & prophetarum vnus Osee ad suorum oraculorum extremum, Quis sapiēs (inquit) & ista intelliget, aut intelligens, & hæc cognoscet? Præterea Daniel, & qui cum eo captiui erant, eo vsque profecerunt etiam in disciplinis, quas Babylone regij sapientes excolebant, vt eis omnibus decuplo præstātiores declarati sint. Præterea in Ezechiele dicitur ad Tyri Principem, superbè de sua sapientia sentientem, Numquid tu sapientior Daniele? Omne occultum num demōstratum est tibi? Postremò si ad libros post Iesum scriptos venias, turbis credenribus proponi parabolas reperies, quasi exteris & exotericis auditoribus, & dignis duntaxat externo atque communi sermone. At discipuli priuatim parabolarum difficultates accipiunt. Priuatim enim suis discipulis cuncta explicabat Iesus, turbis discipulos suæ sapientiæ studiosos præferens. Præterea in se credentibus se missurum sapientes & scribas promisit: Ecce (ait) *Matth. 23*
ego mitto ad vos sapientes & scribas, & ex ipsis crucifige- L
tis & occidetis. Rursum Paulus in donorum siue gratiarum à Deo concessarum catalogo, primo loco posuit sapientiam, secundo vt subiectam rem, scientiam: tertio & *1. Cor. 12.*
inferiore, fidem. Et quoniam rationem atque doctrinam miraculis anteponebat, ideò virtutum operationes & curationum gratias imo loco constituit post rationales gratias. Patrocinatur multæ Mosis sapientię in Actibus apostolorum Stephanus, planè è veteribus, & quæ ad paucos peruenerunt, literis accipiens. Et eruditus est Moses *Act. 7.*
omni sapientia Ægyptiorum. Proinde etiam prodigia putabatur, non è diuinitùs accepto oraculo patrare, verùm quia callebat Ægyptiorum disciplinas. Id enim suspicans de eo Rex, incantatores Aegyptiorum accersiuit, sapientes & veneficos, qui nihil esse conuicti sunt comparatione Mosis sapientiæ. At verò vt probabile est, quæ sunt scripta à Paulo priore ad Corinthios, veluti ad Græcos & *1. Cor. 1.*
valdè inflatos atque tumentes Græcæ sapientiæ nomine, aliquos commouerunt, quasi illius oratio sapientes non ferret. Sed qui ista opinatur, audiat. Paulus veluti hac sententia incusans improbos, eos ait esse, non de intelligibilibus & inuisibilibus & æternis sapientes, sed de sensibilibus duntaxat sollicitos, in hísque omnia constituentes, esse sapientes huius mundi. Ita cùm multa alia quæ consentiunt materiæ & corporibus, atque affirmant cuncta *Sapientia mundi.*
subsistentia esse corpora pręcipuè, nihílque ipsorum com- M
paratione esse, siue quod dicitur inuisibile, siue quod nominatur incorporeum, nominat sapientiam mundi, quæ dissoluitur & euanescit, & sapientiam huius seculi. Alia, quæ animum ab his rebus ad Dei beatitudinem, & quod vocatur regnum, transferunt, ac docent despicere quasi temporaria cuncta, quæ sensu & aspectu percipiuntur, & properare ad inuisibilia, atque quæ non cernuntur contemplari, appellat Dei sapientiam. Porrò veri amator *Sapientia Dei.*
Paulus de quibusdam inter Græcos sapientibus, in quibus quidem vera sentiunt, inquiens, Qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias ege- *Rom. 1.*
runt: primùm testificatur eos Deum cognouisse. deinde istam notitiam minimè sine Deo in eis esse factam, dum scribit, Deus enim ipsis manifestauit: Tacitè indicans, opinor, eos qui à visibilibus ad intelligibilia conscendunt, dum adiicit, Quoniam inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Præterea fortassè existo Apostoli dicto, Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi *1. Cor. 1.*
potentes, non multi nobiles.

Sed

A Sed stulta mundi elegit Deus, vt sapientes confundat, & ignobilia & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius, adducti sunt quidam, vt nullum doctum, nullum sapientem, nullum prudentem accedere ad verbum (Dei) existimarent. Istis verò respondebimus non esse dictum, Nullus sapiens secundum carnem, sed non multi sapientes secundum carnem. Et perspicuè in notis eorum qui vocantur Episcopi, describens Paulus, qualem esse oporteat Episcopum, posuit etiam doctorem, pronuntians oportere, vt possit etiam eos qui contradicūt, arguere, vt stultè loquentium & mente captorum ora sua sapientia obturet. Ac quemadmodum vnius vxoris virum digamo anteponit ad Episcopatum, & irreprehensibilem reprehensibili, & sobrium non sobrio, & temperātem non temperanti, & mundum aliquantulum immundo: sic præcipuè ad Episcopi munus constituendum, eum vult esse docendi facultate præditum, qui & possit contradicentes conuincere. Quàm rectè igitur accusat nos Celsus, veluti dicentes, Nullus accedat eruditus, nullus sapiens, nullus prudens. Imò verò accedat quidem eruditus, & sapiens, & prudens. qui cupit: nihilominus tamen accedat etiam indoctus, insipiens, imperitus, infans. Tales enim etiam accedentes curaturum se pollicetur verbum (Dei) cunctos

1.Tim. 3. *Tit.1.*

B Deo dignos efficiens. Falsum enim verbi Dei doctores solos velle stultos & ignobiles, & sensu carentes, & mancipia & mulierculas & puerulos cōuertere. Atque hos quidem vocat verbum, vt meliores efficiat. His verò etiam multò præstantiores vocat, quoniam Saluator omnium hominum Christus, & maximè fidelium, siue doctorum, siue simplicium, & propitiatio est apud Patrem pro peccatis nostris, nōn solùm autem nostris, sed & mundi totius. Quare superfluum post hæc nos velle defendere cōtra Celsi voces sic habentes: Quid enim aliàs mali est, eruditum esse, & doctrinæ præstātissimæ studiosum, & prudentem esse simul & videri? Ecquid istud obest ad Dei notitiam? Quid? Nónne vtilius est id, per quod citiùs ad veritatem aliquis possit peruenire? Ac sanè verè esse eruditum, minimè malum est: nam via est ad virtutem, eruditio. At in eruditis numerare eos, qui erroneis dogmatibus tenentur, ne quidem Græcorum Philosophi dicent. Sed nec iuxta nostrum verbum sapientia est prauitatis scientia. Prauitatis, vt sic nominem, scientia est in falsa opinantibus, & sophisticis rationibus deceptis. Quocirca in his imperitiam potius quàm sapientiam dixerim. Rursum quis non fateatur doctrinæ præstantissimæ esse studiosum, esse bonum? At quam doctrinam dicemus præstantissimam, nónne veram, & ad virtutem incitantem? Præterea etiam prudentem esse bonum est, sed non videri, quemadmodū

1.Ioan.2.

C dixit Celsus: neque ad Deum cognoscendum officit, sed verius confert eruditio, doctrinæ præstantis studium, prudentia. Quod nobis magis conuenit prędicare, quàm Celso, maximè cùm Epicureus esse arguatur. Verùm cætera eius perspiciamus. At videmus (inquit) eos qui in mercatibus vilissima ostentant & aggregant, in prudentum quidem hominum consortium nunquam venire, neque inter eos audere sua ostentare. Vbi autem viderint infantes, & seruorum turbam, & insipientium hominum multitudinē, illuc currere, & sua gloriosissimè efferre. Vides quibus nos calumniis afficiat, cum nebulonibus circumforaneis vilissima ostentantibus & aggregantibus nos comparans. An aliquid iis simile facimus, qui tùm lectionibus, tum lectionum expositionibus, ad pietatem erga Deum vniuersorum, & virtutes pietatis comites hortamur, atque à dei contemptu & rebus omnibus à recta ratione abhorrentibus dehortamur? Et Philosophi quidem optauerint eiusmodi verborum ad honestum incitantium auditores coaceruare: quod præsertim fecerunt quidam Cynici publicè cum quibuslibet disputantes. Vtrum igitur etiam illos cōgregantes, non quidem eos qui existimantur eruditi, sed vocantes & colligentes discipulos è triuio, comparabunt cum turpissima ostentantibus in foro? At neque Celsus, neque eadem sentientium quisquam, eos pro perspicua ipsorum humanitate verba etiam ad imperitorum multitudinem habentes culpauerit. Quod si isti ista actione

D sint extra culpam, videamus, num multò melius Christiani ad virtutem & honestatem plebem cōuocent. Philosophi certè publicè disputantes, non magnum studium adhibent ad auditores diiudicandos, sed quicunque vult, ad est, & audit. Christiani verò pro viribus antè explorant futurorum auditorum animas, priuatim eos præmuniunt, denique non auditores antè in publicū introducūt, quàm satis videantur in benè viuendi voluntate profecisse, tribus eorum ordinibus constitutis. Primum faciunt modo incipientium & aduenientium, qui & nondum purificationis symbolum receperunt: Alterum, prout possunt, declarantium sibi esse in votis & instituto nihil velle aliud, nisi Christianorum placita, apud quos aliqui præficiuntur, qui de accedentium vita & institutis siue moribus studiosissimè inquirant: vt infamibus vitiis detentos, in communem suorum cœtum venire prohibeant, cæteros animo valdè beneuolo exceptos, meliores quotidiè efficiant. Talis est ipsorum institutio & consuetudò circa peccantes, maximè intemperantem vitam agentes, quos communi cœtu expellent ij, qui Celsi iudicio istis circumforaneis vilissima vendirantibus sunt similes. Pythagoreorum quidem insigne auditorium vmbratica & simulata eorum, qui à sapientum

Tres ordines auditorum.

E Philosophia deficiunt, sepulchra confecit, eos pro mortuis habens. At illi homines, intemperantia alióve nefando flagitiò superatos, quasi intereuntes mortuósque Deo, tanquam vita functos lugent, & vt è mortuis excitatos, vbi dignam ratione mutationem longiore tempore, quàm quod sese initiantibus est assignatum, tandem aliquando admittunt: Ita tamen, vt in nullum principatum & præfecturam Ecclesiæ, quæ dicitur, vbi semel post suum ad verbum Dei accessum lapsi fuerint, cooptent. De his, quibuscum nos Celsus confert, circumforaneis nebulonibus vilissima venditantibus & colligentibus, inquit, in prudentum hominum consortium nunquam concedere, neque his suas res pręclaras audere ostentare. Sed vbi conspexerint pueros, & seruorum greges, & mentis expertium hominum cœtum, illò procurrere, & sua fumosè venditare. In quo nihil aliud quàm conuitiatur, quasi simus similes mulierculis in triuio versantibus, se mutuò maledictis obruere proponentibus. Nos enim quantum possumus, omnia tentamus, quò noster cœtus hominum sit prudentium. Tunc audemus nostra, maximè præclara & diuina, disputationibus in commune institutis, proferre in medium, cùm intelligentibus eruditisque auditoribus abundamus. Occul-

F tamus verò & tacemus profundiora, cùm præsentes cernimus simpliciores, egentésque sermonibus Lac tropicè nominatis. Scribitur enim apud Paulum nostrum, ad Corinthios Gręcos, nondum moribus satis purgatos scribentem: Lac vobis potum dedi, non escam. Nondū enim poteratis, sed nec nūc potestis: adhuc enim estis carnales. Vbi enim in vobis zelus & contentio, nónne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Ille idem sciens quoddam esse alimentum animæ perfectioris, aliud elementariis tyronibus, & quasi infantibus accommodatum, lacti comparari, ait, Opus habetis lacte, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. An igitur, qui his vt præclarè assseueratis credunt, Verbi insignes sententias in prudentū hominum cœtu numquam dicendas existimabunt: sed vbi pueros & seruorum greges, & imperitorum hominum cœtum viderint, eò diuina atque veneranda in medium proferent, & apud eos colorabunt? Atqui perspicuum inuestiganti vniuersam nostrarum literarū mentem, Celsum imperitæ multitudinis inimicū, ista aduersus Christianos, sine veri peruestigatione commentum dicere. Confitemur nos velle cunctos Dei verbum docere, & si id nolit Celsus: puellis etiam tradere præceptiones ipsis con-

Lac tropicum.

ὅδε legos non ὅδε.

Heb.4.

G grueres, seruis ostendere, quo pacto libero assumpto spiritu, verbo Dei nobilitentur. Nam qui apud nos legatione pro Christianismo funguntur idoneè (inquit Paulus) debitores sunt Græcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus. Neque enim inficiantur insipientium animas esse curandas, vt deposita, pro virili, ignoratione, ad intelligentiam sapientiorem festinent, audientes dicentem Salomonem: Insipientes apponite cor, & qui in vobis est insipientissimus, declinet ad me. Mentis autem indigẽtibus imperat Sapientia. venite, comedite panem meum, Prouer. 8. & bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite insipiẽtiam, vt viuatis, & corrigite in scientia intelligentiam. Dicam etiam ista propter ea, quæ Celsus posuit. An qui philosophantur, pueros ad auditionem non prouocant? An improbæ vitæ iuuenes non inuitant ad meliora? Quid? An seruos nolunt philosophari? Ideóne Philosophos vituperabimus, quòd seruos ad virtutem hortentur? vt Pythagoras Zamolxim, Zeno Persæum, & qui nudiustertius Epictetum ad philosophandum perduxerunt? Vobis fortasse, ô Græci, licet pueros, seruos, insipientes homines ad Philosophiam vocare: nos, si id facimus, inhumanè facimus, verbi medicina vniuersam rationalem naturam curare studentes, & attribuere Deo omnium opifici? Perinde agit Celsus, dum multitudine vulgi ad Christianismũ H accedentis deceptus, ait nullum prudentem verbo Dei credere, ac iste, qui diceret propter multitudinem idiotarum legibus obtemperantium, nullum prudentem, exempli gratia, Soloni, aut Lycurgo, aut Zaleuco fidem addere: præsertim si virtute præditum appellet sapientem. Vt enim in his, pro vtilitate perspecta legislatores tentant suis institutis ipsos etiam legibus subiicere: sic legem per Iesum ferens Deus omnis generis hominibus, etiam non prudentes, prout persuaderi possunt, ad meliora inducit. 1. Cor. 1. Quod Paulus conspicatus dixit, Stulta mundi elegit deus, vt sapientes confunderet. Sapientes simpliciùs nominans cunctos, qui videntur quidem versari in disciplinis, sed in impiam Deorum multitudinem inciderunt: Quoniam dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis Rom. 1. corruptibilis hominis, & volatilium, & quadrupedum, & serpentium. Porrò dum accusat docentem, & velut intelligentiæ expertes requirentem, peto, quos intelligentiæ expertes appellet? Re vera enim omnis simplex, intelligentiæ est expers. Si igitur intelligentiæ expertes appellas simplices, an tu accedens ad Philosophiam, simplices vis accedere, an scitos? At isti non possunt, quoniam iam Philosophiæ sese dediderunt. Simplices igitur. Iam si simplices expertes intelligentiæ multos adducere vis ad sapientiæ studium & Philosophiam, requiris ergo intelligentiæ expertes. Ego verò etiamsi eiusmodi rudes, intelli- I gentiæque carentes, quos appellas, requiro, perinde ago, vt si humanissimus medicus laborantes inquirat, vt opem ipsis ferat atque sanitatem. Quòd si intelligentię expertes vocas, non subtiles & acutos, sed hominum stupidissimos, tibi respondeo, me etiam istos conari pro viribus ad meliorem viam perducere. Nolo tamen ex his Christianorum cœtum atque concilium constituere: Nam malo acutiores & subtiliores, quippè qui assequi ænigmatum & sensuum in lege, Prophetis, & Euangeliis abstrusorum altitudinem possint. Quæ quidem tu scripta, vt nihil dignitatis & præstantiæ habentia, ante exploratam eorum mentem, & tentatum in scribentium sententiam ingressum temere neglexisti.

Nostram in Dominum fidem nihil habentem commercij cum bruta Gentilium superstitione, Esse laudandam, & communibus sensis ab omni antiquitate repetitis consentire. Item aduersus eos qui quærunt quo pacto Iesum mortali corpore constantem, Deum existimemus.

CAP. XIX.

E præcedentibus verbis eiusdem tomi (tertij) contra Celsum. K

IGITVR de Antinoo, aut eiusmodi alio quouis, siue apud Ægyptios, siue apud Græcos fides est, vt sic nominẽ, infortunata: at de Iesu aut videtur fortunata, aut etiam studiosè exploratur atque inquiritur. Videtur quidem fortunata apud multitudinem, studiosè autem inquiritur apud valdè paucissimos. Cum aliquam fidem esse dico, vt multi nominauerint, fortunatam, vocabulum ad Deum scientem causas, cur vnicuique homini in hanc vitam venienti certa attribuantur, refero. Græci affirmabunt etiam in sapiẽtissimis, rerum quamplurimarum causam esse prosperam fortunam. Exempli causa, in tanta doctorum varietate, in meliores incidere, cùm alij contrarias teneant & doceant sententias: Item educari in melioribus. Nam multis contrà educari accidit, vt ne permittantur quidem speciem meliorum percipere, sed semper, à prima etiam ætate, versari aut in amoribus intemperantium hominũ, aut dominorum, aut aliquo alio animum sursum aspicere non permittente flagitio. Horum autem causas par est, vt in prouidentiæ rationibus existant: vt verò cadant in homines, non promptum est & facile. L Existimaui hæc interim dicenda per digressionem propter ista, Quidnam fides, qualiscunque anticipata, efficit. Oportebat enim propter educationes differentes dicere fidẽ differre in hominibus fortunatiùs aut infortunatius credentibus, ac indè colligere subtiliores magis rationales videri, & addere, rationi esse conuenientius, vt ad dogmatum propagationẽ prospera fortuna & aduersa (sic enim nominantur) conferat. Sed de his satis. Reliqua Celsi consideremus. Nobis (inquiunt) fides animam nostram occupans, hanc de Iesu assensionem & approbationem ingenerat. Verè enim fides in nobis facit hanc approbationem. Vide autem num indè ipsa fides laudẽ mereatur. Crẽdimus enim Deo prępotenti & summo, gratiam communiter agentes huiusce fidei duci & præmonstratori Christo, quem & prædicamus piè ista ausum perfecisse. Credimus etiã institutis eorum, qui Euangelia conscripserunt, perspicientes ipsorum metum, & religionem, & conscientiam, vt qui è suis literis cognoscantur nihil habere nothum, nihil fortuitum, nihil fictum. Nam proculdubiò animæ destitutæ vaferrima Græcorum sapientia, quæ multam continet probabilitatem & acumen, itémque Rhetorica, quæ in curiis forensibus versatur, non sic potuerunt res fingere, quæ ex sese ad faciendam fidem, & institutionem fidei congruentem valent. Arbitror autem Iesum propterea voluisse huiusmodi vti doctoribus, vt nullum haberet locum verisimilis, & ad persuadendum accommodatæ sapientiæ suspi- M cio. Perspicuè autem intelligere valentibus liquet, purum & innocuum scribentium consilium habens, vt sic dicam, simplicitatem dignum fuisse habitum diuina virtute, multò plus efficiente, quàm efficere posse videatur sermonis (ἤπερ lego, non εἴπερ.) ornatus & verborum compositio, & cum distinctionibus & artificio Græcanico ordo atque contextus. Considera enim, an non fides nostra communibus sententiis ab omni antiquitate repetitis consentiens, auditores prædicationis nostræ beneuolos conuertat? Nam etsi peruersitas, multa eruditione cum ipsa conspirante, multitudini potuit inserere opinionem de simulachris, vt diis, & de rebus ex auro & argento & ebore & lapide confectis, vt adoratione dignis: at communis notio in animum statim inducit, Deum nullo modo materiam esse corruptibilem, neque ab homine figuratum adorari in materiis inanimatis, vt quæ non sint ad imaginem, aut aliquas notas & simulachra illius fabricatæ. Itaque protinus dicitur, simulachra & eiusmodi opificia non posse comparari cum opifice Deo omnium summo, qui condidit, & continet, & moderatur vniuersa. Et statim tanquam cognatum agnoscens rationalis anima, abiicit quæcunque tunc opinabatur esse Deos, & amorem concipit naturalem, erga suum creatorem.

A Quin & illo erga Deum amore, & quasi philtro siue poculo amatorio, suscipit etiam Iesum, qui ea primùm vniuersis hominibus declarauit per dispositos discipulos à se emissos cum diuina virtute & potestate ad prædicandum Deum, & Dei regnum. Cæterùm quoniam sæpiusculè nos vituperauit, quòd Iesum, cùm constet mortali corpore, Deum existimemus, vt in hoc etiam sanctè nos videamur gerere, commemorare denuò est superuacaneũ. Nam plura de hoc in superioribus dicta sunt. Attamen sciant vituperatores nostri, quem existimamus & credimus à principio esse Deum, & Dei filium, esse ipsummet verbum, ipsammet sapientiam, ipsammet veritatem: Mortale verò eius corpus, & humanam eius animam, non solùm propter communicationem, quam cum Verbo habet, verùm etiam propter vnionem & temperationem, ingentia assumpsisse, & ex communicatione deitatis verbi in Deum esse transmutata. (Cautè.) Quòd si quis offendatur, dum ista de nostro corpore dicimus, attendat ad ea quæ dicuntur à Græcis de materia sua ratione informi, qualitates induente, quas Deus opifex ipsi voluerit tribuere. Sæpè quidem priores abiicit, sæpè etiam meliores & differentes assumit. Quæ si sanè & citra culpam prædicantur, quid mirum qualitatem mortalis Iesu corporis, Dei ita volentis prouidentia, mutatum esse in ætheriam & di-
B uinam qualitatem? Non vt Dialecticus prodidit Celsus, conferens humanam Dei carnem cum auro & argento & lapide, quoniam caro quàm ista faciliùs corrumpitur. Nam iuxta accuratam rationem, incorruptibile incorruptibili non est magis incorruptibile, *nisi fortassè magis incorruptibile. Ad id tamen respondebimus. Si materia cunctis qualitatibus obnoxia, mutare potest qualitates, quomodo caro Iesu, mutatis qualitatibus, non poterit talis fieri, qualem oportet esse eam, quæ in æthere & superioribus eius locis versatur, non iam habentem carneæ infirmitatis propria, & quæcunque execratiora nominauit Celsus, philosophicæ disciplinę inconuenienter. Propriè enim execratum à prauitate tale est. Natura autem corporis non est execrata. Non enim quà natura corporis est, quod generat execrationem, prauitatem habet.

*Suspicor esse mendum, aut non intelligo.

μαρόν.

Non intelligo.

ADVERSVS EOS QVI DICUNT, non propter hominem, sed propter bruta effectam esse vniuersitatem, atque adeò homines: quoniam minore quàm nos labore bruta viuunt. Item bruta, velut nobis sapientiora, Deo chara esse, & Dei habere notitiam, & præscire futura. In quibus etiam de animarum (in corpora) transmigratione, & de auguriis, eorúmque fallacia.

C

CAPVT XX.

E tomo quarto contra Celsum.

POst hæc ait Celsus: At vt non de solis Iudæis (non enim istud dico) sed de vniuersa natura, quod promiseram, sermo sit, clariùs prædicta declarabo. Ecquis hæc legens moderatus, & humanæ infirmitatis cõscius, non oderit istum gloriosè pollicentem se de vniuersa natura rationem redditurum, itémque arroganter extollentem libri titulum, quem ipse ausus est inscribere. Sed videamus quænam sint ista, quæ de vniuersa natura se dicturum atque declaraturum pollicetur. De multis deinceps certè accusat nos, velut hominis causa dicentes, Deum omnia effecisse, ac vult ex animalium historia & solertia in ipsis apparente ostendere, non magis hominum, quàm brutorum animalium causa omnia extitisse. Et videtur mihi simile his agere, qui inimicos propter suum erga ipsos odium accusant, de iis ob quæ ipsorum amicissimi laudantur. Quemadmodum enim in his cæcutit odium,

αὐτοῖς legẽdum, nõ αὐτῆς

dum non vident se amicissimos accusare per ea, quibus se D
malè dicere de inimicis existimant: eodem certè modo Celsus confusa ratione non cernit se etiam Stoicos Philosophos damnare, vt præclarè brutis animantibus præponentes hominem, atque omninò rationalem naturam, proptérque eam præcipuè, prouidentiam cuncta effecisse docentes: rationalia quidem, quæ sunt præcipua, pueruli nascentis habere rationem: irrationalia autem & inanima prædij, quòd simul cum puerulo componitur. Et certè, vt arbitror, quemadmodum in respub. prouisores vænaliũ rerum & fori, ob nullam aliam causam prouident, quàm propter homines, & tamen vbertatis vtilitatem sentiunt etiam canes & alia bruta: sic prouidentia præcipuè ad rationales creaturas attendit: quadam autem consequentia etiam bruta iis, quę propter homines facta sunt, perfruuntur. Ac quemadmodum errat, qui asserit fori leges non magis prospicere hominibus, quàm canibus, quoniam etiam canes fruuntur vænalium vbertate: sic multò magis Celsus, & qui eadem cum ipso sentiunt, sunt impij in Deum rationalibus creaturis prouidentem, dum aiunt, non hæc magis hominum causa propter pastum esse producta, quã stirpium, arborum, herbarum. Primum enim opinatur nõ esse Dei opera tonitrua, fulgura, pluuias, apertè iam Epicureum agens. Deinde, etiamsi concedatur hæc Dei esse opera, dum non magis hęc in cibum propter nos (μὴ lego, non τιμὴ.) E
homines, quàm propter stirpes, arbores, herbas, spinas, esse effecta confitetur, fortuitò, non prouidenter, vt verè Epicureus, ista accidere concedit. Nam si non magis nobis hominibus, quàm stirpibus & arboribus, & herbis & spinis, ista sunt vtilia, perspicuè huiusmodi à prouidentia non proficiscuntur, aut prouidentia non plus nostra curat, quàm arbores & herbas & spinas. Quorum vtrumque est impium, & quamuis nos de impietate accuset, tam impiis dictis contradicere fatuum. Omnibus enim notum è iam disputatis, vter sit impius. Deinde, Etiam hîc (inquit) asseris hominum causa nasci stirpes & arbores, & herbas & spinas. Cur potius ea hominibus nasci prædicas, quàm brutis animalibus, agrestissimis? Perspicuè igitur enuntiet Celsus, tantam eorum quæ in terra gignũtur differentiam, non esse prouidentiæ opus, sed casus & fortunæ: deinde quis tot & tantas Atomorum qualitates fecerit. Item fortuitò apertè doceat, tot stirpium, arborum, herbarum species sibi mutuò esse similes: præterea nullam artificiosam rationem ipsa constituisse, neque à mente omne miraculum superante, habere principium. At nos Christiani istorum opifici Deo duntaxat consecrati, etiam de iis gratiam horum omnium conditori habemus, quoniam nobis & propter nos bestiis ad nostra seruitia comparatis, talem focũ præparauit, qui producit iu- F
mentis fœnum, & herbam seruituti hominum: qui educit panem de terra, & vinum, vt lætificet cor hominis, & exhilaretur facies oleo, Et panis confirmet cor hominis. (Psal.) Quòd si etiam agrestissimis animantibus alimenta ministrauit, nihil mirum. Nam etiam hæc animalia alij Philosophi rationali creaturæ, exercitationis gratia, producta esse dixerunt. Præterea alicubi nostrorum sapientium vnus: Ne dicas (inquit) quid istud, aut quorsum istud. Cuncta enim ad vsum ipsorum creata sunt. Et ne quæras, quid istud, aut ad quid istud. (Eccles.) Cuncta enim tempore suo requirentur. Deinceps Celsus volens prouidentiam non magis nobis quàm belluis agrestissimis terræ fructus & herbas producere, subiicit, Nos sanè laborantes, & magna miseria confecti vix atque laboriosè alimur. His autem citra sationem & arationem nascuntur. Non videt Deum vbique humanam intelligentiam exercere cupientem, ne desideret otiosa & ignara expérsque artium, hominem summè indignum condidisse, vt ob suam egestatem inuenire artes quasdam ad se alendum cogeretur, alias ad tegendum. Prius enim erat & potius iis, qui non fuerant diuina peruestigaturi, & philosophaturi, egere, vt intelligentia & ingenio ad inuestigandas artes vterentur, quàm ex abuntia & copia,

G intelligentiam penitùs negligere. Igitur rerum ad vitam necessariarum penuria constituit, partim agriculturam, partim hortensem, partim fabrilem & metallicam, operũ artibus ad cibum pertinentibus vtilium effectrices. Integumenti autem inopia partim textrinam, pòst tondendi & nendi artificia introduxit, partim ædificatricem. Ita intelligentia ascendit etiam ad architectonicam. Præterea necessariorum indigentia docuit ea, quę aliis in locis gignuntur, exportare ad alios, nauigandi arte. Quocirca eas ob causas prouidentia conuenienter præter bruta animalia hominem rationis participem egenum condidit: Nam bruta paratam sunt consecuta escam, vt quę ad artes impetum nullum habeant. Præterea naturale habent tegumentum: nam vel pilis, vel plumis, vel squammis, vel testis sunt obducta atque obtecta. Postea sibiipsi opponit Celsus, quæ vulgò homines dicunt, propter nos bruta animantia esse producta, atque ait: » Si quis nos principes dixerit brutorum, quoniam bruta venamur, & in conuiuiis edimus, vicissim dicemus quid? Nônne potius propter ipsa nascimur, quandoquidem illa nos venantur & deuorant? Pręterea nobis maculis & retibus & armis opus est, hominum item copioso comitatu & auxilio, & canibus ad ea venatione capienda. Illis mox & per se H natura arma dedit, quibus facillimè in ipsorum venimus potestatem. Hic vides, quàm magnum adiumentum nobis intelligentia afferat, quàm præstantius quibuslibet armis, quibus ferę alioqui instructæ videantur. Nos igitur corpore feris multò imbecilliores, quibusdam etiam supra modum breuiores feras intelligentia subigimus, & ingentes elephantos venamur. Quæ naturà abhorrent à cicuratione, subiicimus nostræ mansuetudini. Aduersum eas, quas natura noluit cicurari, aut quæ non videntur è cicuratione nobis vllam præstare commoditatem, sic cum nostra securitate statuimus, vt cùm volumus, tantas támque feras bestias clausas domi habeamus: cum ad alimentum corporibus ipsorum indigemus sic ipsas de medio tollimus, vt & reliquas animantes non agrestes. Seruas igitur omnes animalis ratione participis, & naturalis ipsius intelligentię, summus opifex constituit. Ad alia canibus egemus, verbi gratia, ad custodiam ouium, boum, caprarum, ædium. Ad alia bubus, veluti ad agriculturam. Ad alia iumentis vtimur, aut onera ferentibus belluis. Sic ad exercenda nostræ fortitudinis seminaria datum nobis fertur Leonum & vrsorum, pardorum & suum, & similium genus. Deinde ad hominum genus suam supra bruta animantes excellentiam sentientium, inquit, » Ad id, quod prædicatis Deum vobis tribuisse posse tollere feras, & conficere, respondemus: Antequàm essent vrbes, & artes, & huiusmodi commercia, I & arma, & retia, vt par est, homines à feris rapiebantur, & deuorabantur: feræ autem minimè ab hominibus capiebantur. Atqui vt his respondeam, etsi homines extingunt feras belluas, & feræ belluæ homines vicissim rapiunt: at magnum est discrimen inter intellectu mentéque prædita, vt nihil à feris patiantur, & bruta intelligentiæ expertia, feritate atque crudelitate pollentia. Quod autem ait, antequàm vrbes essent, & artes, & vsus siue commercia, hominis, opinor, est obliuiscentis eorum quæ iam superius dixit, mundum esse ingenitum, & incorruptum, & non nisi singularia atque certa orbis loca eluuiones conflagrationésque pati, neque omnia simul cum his concidere. Vt igitur non licet ingenitum constituentibus mundum, principium ipsius nominare, sic neque tempus circumscribere, quando nullo modo erant ciuitates, neque artes adhuc erant inuentæ. Quæ vt possimus nobis conuenienter, ipsi concedere, at ipse si sibi velit constare, non potest. Quid igitur istud ad id, quod homines principiò planè à feris rapti sunt, non item feræ ab hominibus capiebantur? Nam si prouidẽtia mundus effectus est, & Deus rebus vniuersis præsidet, necesse est igniculos generis humani exorientes, in quadam meliori custodia fuisse, ita vt à principio commercium esset inter diuinam naturam & homines, quemadmodum Ascreus poëta cecinit: K

Heminibus corripui, obversionem & carmen.

Communes enim erant epulæ, sedésque locorum
Communes tunc hominibus mortalibus, & diis
Immortalibus.

Diuinus autem secundum Mosen sermo primos homines vocem & oracula audientes introduxit: interdum pręstereà cernentes Angelorum Dei secum congressum. Nam consentaneum mundi initio humanam naturã pluribus auxiliis fuisse cumulatam, donec vbi in intelligentia & virtutibus & artium inuentione profecisset, posset per se viuere, non egens perpetuò procuratoribus & dispensatoribus, cum admirabili Angelorum, Dei voluntati ministrantium, apparitione. Hinc sequitur falsum esse, quod initio homines à feris raperentur & vorarentur, feræ autem minimè ab hominibus caperentur. Perspicuè igitur falsum, quod in eam sententiam Celsus protulit: Itaque hoc modo Deus homines potius feris subiecit. Non enim subiecit feris homines, sed vt hominum intelligentia capi possent feræ, & artibus contra illas vt intelligentiæ constitutis, Deus tribuit. Non enim sine Deo sibi ipsis homines à feris salutaria auxilia, & contra illas imperum excogitauerunt. L Cæterum non intuens vir iste generosus, quanti Philosophi prouidentiam introduxerint, atque eam propter creaturas rationales cuncta fecisse dixerint, simul, quantum in ipso est, tollit Christianorum vtilia dogmata, eáque Philosophiæ congruentia: neque cernens quanta creetur noxa pietati, si admittitur hominem apud Deum non differre à formicis & apibus, ait: » Si propterea homines differre videntur à brutis, quoniam vrbes habitarunt, & vtuntur politia & principatibus & imperiis, istud nihil ad propositum. Etenim formicæ & apes sunt eiusmodi. Apes certè ducem habent, & ordinem, & famulatum, & bella gerunt, & victorias referunt, & victos de medio tollunt, suas habent vrbes & pomœria siue suburbia, & operum successiones, & contra pigras & prauas lites instituunt, fucos abigunt atque puniunt. Neque in his certè vidit, quo differant ea quæ ratione & ratiocinatione perficiuntur, à rebus natura rationis experte & exili opificio factis, quorũ causam nulla operãtiũ ratio cõcipit. Nullã enim habẽt: sed antiquissimus quidẽ & filius Dei, omnium autem subiectarũ rerum Rex, naturã rationis expertem, adiutricẽ, tãquã rationis expertem hominibus ratione participãtibus fecit. Ciuitates igitur apud homines cum multis artibus & ordinationis legibus cõstitutæ sunt. Politiæ itẽ, & principatus, & imperia sunt in hominibus propriè serij quidẽ habitus & actiones: minus propriè, quæ ad illorum, prout fieri potest, imitationem instituuntur. M In illa enim intuentes Rerump. præfecti legumlatores, præstantissimas politias constituerunt, & principatus, & imperia, quorum nullum in brutis licet inuenire: Quamuis Celsus rationalia nomina, & de rebus ratione factis posita, ciuitatem, & politiam, & principatus, & imperia, etiam ad formicas & apes referat. Quorum causa & nomine nullo modo quidem formicas & apes accipiamus oportet (nam cum ratiocinatione non operantur) sed diuinam naturam admiremur, vsque ad rationis expertia quoddam rationalium imitamentum extendentem, Fortassè ad hominum verecundiam, vt formicis intendentes, ad operandum acriores, & rerum ad vitam vtilium frugaliores dispensatores efficiantur. Prætereà contemplati etiam apes, Principi pareant, & vtilia Reip. opera ad ciuitatum conseruationem distribuant. Fortassè etiam præliorum simulachra inter apes, documentum dant de præliis iustis & bene ordinatis, si quando ea geri inter homines oporteat. Nec verò ciuitates & pomœria siue suburbia apes habent, sed aluearia & sexangula.

Earum etiam opera & successio propter homines existit

ad multa

A ad multa melle indigentes, & ad curationem malè affectorum corporum, & ad purius alimẽtum. Præterea fucorum ab apibus eiectio non debet cum litibus in ciuitatibus contra inertes & prauos institutis, eorúmque suppliciis. Verùm, vt antè dixi, in his naturam admirari oportet: Hominem autem, qui omnia potest complecti, & omniũ opera exornare, velut prouidentiæ opitulantem, imò verò non solus prouidentiæ opera perficientem, verũ etiam sua suscipere. Locutus Celsus de apibus, & pro viribus eleuet, nostras non solùm Christianorum, verùm etiam hominum omnium ciuitates, & politias, & principatus, & impęria, & pro patria suscepta bella, deinceps formicarũ laudem infert & percurrit, vt earum encomio circa alimẽta dispensationem & œconomiam, formicarum comparatione deiiciat, & de rebus hyeme necessariis prouidentiã deprimat: quasi nihil amplius habeant homines bruta ratiónéque carente formicarum, in iis quę ille opinatur prouidentia. Quémnam autem è simplicioribus hominibus & nescientibus omnium rerum naturam perspicere non detestabitur, quantum valuerit, Celsus, ex eo quòd onerum mole grauatis opitulentur, & cum illis in laboribus communicent, maximè cùm eos formicis æquiparans, dicat, eas quando aliquam viderint laborantem in onerum baiulatione, sibi inuicem succurrere? Ratiocinabitur enim qui institutionis, ratione constantis eguerit, & eam nullo modo intellexerit, quoniam nihil à formicis differimus, etiam cùm laborantibus ferimus opem, quid frustrà istud B molimur? quid magni facimus? Et formicæ quidem, quippè quæ brutæ sint animantes, quando ipsarum opera cum hominum actionibus conferentur, nõ extollentur ad magnificè de se sentiendum. Homines autem cùm propter rationem audire possint, quo pacto communis ipsorum facultas vilipendatur, offendentur quàm maximè propter Celsum, ipsiúsque verba, qui nõ vidit se, dum vellet à Christiana religione sui libri lectores auertere, communem hominum, etiam à Christiana pietate abhorrẽtium, erga oppressos & oneribus grauatos commiserationem detestatum. Atqui ipsum oportebat, siquidem erat Philosophus communis sensus particeps, non modò non tollere cum Christianis sententiis vtilitates hominum, verùm etiam, si poterat, bona Christianis cum aliis hominibus communia promouere & adiuuare. Quòd si reconditorum fructuum germina eximunt formicæ ne germinent, sed maneant in annum alendi sui causa, huius rei causam esse rationis discursum minimè est existimandum, verùm omniũ matrem naturam, quæ etiam bruta ornauit, vt ne tantillũ quidem sine rationis à natura profectæ vestigio sit relictũ: Nisi sanè per hæc tacitè Celsus in multis Platonem æmulari cupit, atque vult eiusdem speciei esse animas vniuersas, nihílque animam hominis differre ab formicarum & C apum anima. Quod quidem est animas è cœlorum orbibus, nõ modo in humana corpora, verumetiam in reliqua deducere. His autem non credent Christiani, qui iam acceperunt humanam animam ad Dei imaginem esse factã, & fieri non posse perspiciunt, naturam ad imaginem Dei fabricatã, penitus suas notas deserere, & rationis expertes atque brutas, nescio ad quorum imagines in brutis animãtibus factas, assumere. Porrò quoniam etiam morientibus formicis ait viuas & superstites certum quendam locum secernere, ac eum illis esse patria monumenta, dicendum eum quanto plura affert brutorum encomia, tanto plus, etiamsi nolit, rationis sapientiæque diuinæ cuncta exornãtis opificium exaggerare, atque ostendere, quantum ingenium & acumen in hominibus polleat, ad ratione exornandam naturæ etiam brutorum rationis expertium præstãtiam. Sed quid dico rationis expertium? cùm Celsus sentiat, ne quidem rationis esse expertia, quæ communibus omnium sententiis rationis expertia appellantur? Formicas profectò non arbitratur ratione carere, quamuis se de vniuersa natura dicturum, veritate in libri sui inscriptione gloriosè ostentata, esset pollicitus. Ait enim de formicis tanquam inter se colloquentibus ista: Et sanè sibi inuicẽ occurrentes colloquuntur: Vnde neque de viis errant. Igitur etiam rationis perfectio in ipsis existit, & communes D sententiæ quorundam vniuersorum, & res per vocem significatæ. Nam aliquem cum aliquo colloqui, fit voce rẽ quandam significatam declarante. Præterea sæpè de contingentibus quæ feruntur enuntiant. Quæ quidem in formicis inesse dicere, quomodo non est omnium maximè ridiculum? Quin & minimè hominem pudet, vt suorum dogmatum turpitudinem suis æmulis ostendat, quadam collectione dicere: Age igitur, si quis de cœlo in ista terrestria inspiciat, quid videbuntur nostra & formicarum atque apum opera differre? De cœlo igitur super terram ex ipsius hypothesi, quæ fiunt ab hominibus & à formicis prospiciens, vtrum intuetur hominum & formicarum corpora, non autem contemplatur mentem, præcipuam illorum partem, & ratiocinatione motam atque agitatam: & rursum animam brutam, principalem istarum partem, & quo dam impetu & phantasia citra rationem actam atque permotam cum aliqua naturali actione? Absurdum autem est è cœlo prospicientem sublimaria, velle quidem intueri hominum & formicarum corpora è tanto interuallo, non item potius principalium partium naturas, & inclinationum fontem rationis participem, aut expertem. Quod si semel conspexerit omnium inclinationum fontem, perspicuè etiam differentiam cernet, & præstantiam hominis, non modò supra formicas, verumetiam elephantes. Nam prospiciens de cœlo, in brutis, eorum etsi ingẽtia sint corpora, non aliud conspiciet principium, quàm, vt sic nominem, rationis vacuitatem. In rationalibus autem animan- E tibus quidpiam commune hominibus cum diuinis & cœlestibus, & fortasse cum ipso supremo Deo. Proinde etiam iuxta imaginem Dei effectus esse dicitur: nam imago supremi Dei, ipsius est ratio. Deinde velut magis deprimere studens hominum genus, & simile efficere brutis, nihilque eorum quæ de brutis narrantur, & præstantiam declarant, ipsi cupiens relinquere, goëtiam etiam in quibusdam brutis habere locum tradit, vt ne eo quidem nomine homines aliquid insigne obtinere videantur, aut vllam vltra belluas rationis expertes excellentiam. Sic enim ponit: Quòd si etiam Goëtiæ nomine sapiunt homines, iam in eo sapiẽtiores sunt serpentes & aues. Multa certè norunt venenorum amuleta, & contra morbos remedia. Quin & lapidũ quorundam vires ad pullorum suorum salutem: quæ si homines consequantur, mirabilem quandam possessionem habere censentur. Primùm non video quo pacto siue experientiam circa naturalia venenorum amulẽta, siue naturalem quandam comprehensionem Goëtiam nominauerit. Nam vulgare & tritum est Goetię vocabulum aliam habere rationem & ordinem. Nisi sanè tacitè calumniari F vult, velut Epicureus, omnem istorum vsum quasi in Goetarum ostentatione positum. Verùm ipsi demus, homines ob istorum notitiam magnificè de se sentire, siue sint Goetæ, siue non. Quopacto in eo sapientiores sunt hominibus serpentes, quia marathro ad aspectus acumen & motionis celeritatem vtuntur? cùm istam rem solam naturalem ex actu & opere, non è ratiocinatione percipiant: Homines autem æquè ac serpentes, non tenui naturæ vi, sed partim experiẽtia, partim ratione eò perueniãt, interdũ etiã ratiocinatione & sciẽtia? Similiter vt aquilę ad pullorũ suorum salutẽ ætitẽ qui fertur, lapidẽ repertũ, portent in nidũ: qua ratione sunt sapiẽtes aut etiã hominibus sapientiores, qui naturale auxiliũ aquilis experiẽtia tributũ, ratiocinatione & mente vsi inuenerunt? præterea belluæ alia venenorũ amuleta cognoscant? Quid hoc, cùm non natura, sed ratio in animalibus ista inuenerit? Nam nisi ratio inuenisset, numquam definitè & certo numero hoc aliquid in serpẽtibus fuisset inuentum, sed esset secundum & tertium, & quippiam aliud in aquila: quin & in cęteris animalibus tot essent alia, quot etiam in hominibus. At nunc ex eo, quòd definitè ad aliquem singulorum animantium naturã vergunt auxilia, apparet neque sapientiam neque rationem in ipsis inesse, sed naturalem aliquam ad ista salutis ergò operationem à ratione profectam. Quamquam, si vellem, ad Celsi sententiam accedere, vterer Salomonis dicto è

Fuci.

σπαρ-γᾷν lego, non σπαρ-γᾷν.

De animarum differentiis.

Imago Dei ratio.

Probatio obscura.

G Prouerbiis sic habente: Quatuor sunt minima super terram. Ista autem sunt sapientiora sapientibus. Formicę, quę (Prou. 30.) quamuis careant robore, æstate parant cibum. Chœrogrilli, populus non fortis, qui in rupibus sua domicilia construunt. Sine rege est locusta, & tamen exercitum instruit vno celeusmate, & ordinat. Stellio manibus se fulciens, qui cùm captu facilis sit, habitat in regis munitionibus. Verùm perspicuis dictis non vtar, sed potius inscriptione. Inscribitur autem liber Parœmiæ. Hæc tanquam ænigmata scrutor. Eiusmodi enim homines solent, quibus aliud verbis exprimitur, aliud in intelligentia enuntiatur, in multas species diuidere, quarum vnam parœmias esse cēsent. Proindè in Euangeliis Saluatorem nostrum dixisse scribitur: hæc in parœmiis locutus sum vobis: sed venit hora, cùm nō adhuc vobis in parœmiis loquar. Non igitur formicæ sensu prædite sapiētiores sunt sapientibus, sed, vt in parœmiarum specie significatæ. Idem iudicium de cæteris animalibus. Verumenimuero Iudæorū & Christianorum libros Celsus opinatur esse valdè simplices & rudes, & qui eos allegoricè interpretantur, scriptorum mēti vim afferre. Sed istis Celsum nobis frustrà calumniam struxisse demonstratum sit. Præterea conuicta sit ipsius de serpētibus & aquilis disputatio, qua eos hominibus esse sapientiores pronuntiat. Quin & declarare volens pluribus, sensa de Deo eximia pertinere, non modò ad homines, verum etiam ad pleraque bruta de Deo cogitātia, de quo alioqui

H tam discrepantes sunt sententiæ inter homines vbique terrarum acutissimos, Græcos & Barbaros, inquit: Si homo, quia diuinam notitiam percipit, excellere cæteris animantibus censetur, qui hoc prædicant, sciant istud pleraque alia animalia sibi vendicare: ídque meritissimè. Nam quid futurorum prænotione & præsignificatione diuinius? Atqui istud homines cùm ab aliis hominibus, tùm maximè ab auibus discunt, & qui illarum indicia intelligunt, sunt vates. Si igitur aues & aliæ animantes vaticinæ, diuinitùs prænoscentes, signis nos docent, tanto videntur propiùs ad diuinum colloquium natura accedere, esséque sapientiores, & Deo chariores. Ferunt etiam eruditi homines eas habere colloquia nostris sacratiora, & se earum sermones nosse, & opere ostendere illos sibi esse notos, dum prædicentes quicquid aues locutæ sunt, quia aliquò abeunt, & aliquid faciunt, declarant se abire & facere, quæ illæ prædixerunt. Elephantis porrò nihil sanctius, nihil erga Deos fidelius esse videtur, omninò sanè quoniam notitiam habent. Vide vt in his quæstiones apud Philosophos agitatas, non modò Græcos, verum etiam Barbaros, qui partim inuenerunt, partim à dæmonibus didicerunt auium & aliorum animalium qualitates, & affectiones, è quibus diuinationes aliquæ inter homines versari feruntur, in suum

I vsum arripit, & pro concessis exponit. Primùm enim quęsitum est, an sit aliqua augurandi ars & absolute, per animantes diuinatio, nécne. Deinde apud eos, qui confitentur diuinationem ex auibus, non conuenit de modo diuinandi & causa. Alij enim motus istos animantium fieri dicunt aliquorum deorum aut dæmonum ariolantium ope, quibus impellentibus aues diuersos volatus, garritus differentes, cæteræ animantes hos & illos motus conficiunt. Alij putant earum animas esse diuiniores, & ad id accommodatas: quod minimè est credibile. Oportebat igitur Celsum, dum disputatione proposita, bruta hominibus diuiniota & sapientiora demonstrare studet, pluribus hanc diuinandi artem, quasi veram veréque consistentem statuere: Deinde efficaciter & certas argumentis rationes cōtrarias quæ eam tollunt, refellere: Certis etiam argumentis rationes docentium huiusmodi animalium motus à diis vel dæmonibus proficisci ad diuinandum euertere. Postremò de brutorum animalium anima velut diuiniore agere. Sic enim disputationi ipsius ostentantis se esse Philosophum, circa istorum habitudinem, prout potuimus, institimus, euertentes bruta sapientiora esse hominibus, & sensa de Deo habere sacratiora, aut omnino habere, itémque inter se colloquia sacra agitare. Nunc verò nobis vitio verrēs, quod supremo Deo credimus, nos postulat credere auium animas diuinioribus esse cogitationibus & a- K cutiotibus quàm homines. Quod quidem si verum, aues Celso præstantiores habent de Deo cogitationes. Nec mirum, si Celso habeant præstantiores, qui vsqueadeò hominem deiecit, quandoquidem, quantum Celso videtur, aues maiora & diuiniora habent sensa, non modò quàm nos Christiani, aut Iudæi nobiscum easdem Scripturas vsurpātes, verumetiam quàm Græci Theologi. Homines enim erant. Nam Celsi iudicio perfectius Dei naturam percepit vaticinarum auium genus, quàm Pherecydes, quàm Pythagoras, quàm Socrates, quàm Plato. Sic sanè oportebat nos venire in auium disciplinam, eísque tanquam doctoribus vti, vt Celsi sententia, nos docerent artem diuinandi. Sic etiam à dubitatione de Deo homines eximent, sententia, quam de ipso perspicuam perceperunt, tradita. Quare Celsum cōsentaneum, qui aues hominibus antecellere existimat, auibus vti doctoribus, præter eas Græcorum Philosophorum nemine. Porrò è multis pauca de rebus propositis disseramus, & ingratam mentiendi libidinem erga suum cōditorem refutemus. Homo enim etiam Celsus, cū in honore esset, non intellexit propterea, non quidē comparatus est inmētis, & aliis brutis animalibus, quibus tribuit vaticinandi facultatem, sed illis, quibus primas cōcedens supra Aegyptios bruta animalia, tanquam Deos colentes, se, atque adeò vniuersum genus humanum subiecit, quantum in ipso fuit, quasi deteriùs & minus de Deo sentiens, quàm belluæ rationis expertes. Imprimis igitur quæratur, an sit ex auibus & reliquis animantibus, quæ L putantur vaticinæ, diuinatio, nécne Non enim contemnēda in vtramque partem disputatio, quæ interdum persuadet eam non suscipiendam, ne ratio relictis diuinis oraculis, auibus vtatur: interdum testatam multis experientiam præbet, quòd multi è maximis periculis sint liberati, dum diuinationi ex auibus fidem accommodarunt. Verum in presens detur, reuera esse auguralem scientiam, vt eo etiā sic dato atque concesso, multam esse hominis supra bruta animantia, & quidem vaticina, dignitatem & præstantiam demonstrem, nullóque modo ad illa comparabilem. Quocirca dicendum, siquidem diuina aliqua natura in ipsis futura prænoscit, & vsqueadeò est locuples, vt volentibus futura declaret, perspicuè esse cōsentaneum, vt prius sua cognoscant: vbi cognouerint, caueant volare in illa loca, in quibus homines contra ipsas laqueos & retia tendunt, aut sagittarij, pro scopo vsi volantibus, tela conijciunt. Prætereà oporteret aquilas insidias contra suos pullos prænoscentes, quando serpentes sursum scādunt, & in pullos sæuiunt, & homines voluptatis lusúsque gratia, aut aliquo alio commodo & vsu, ipsos comprehendunt, nunquam illic nidificare, vbi struendæ essent insidiæ: Et vt vno verbo finiam, nunquam vllum istorum animal ab hominibus M capi, tanquam hominibus diuinius atque sapientius. Prætereà si aliter pugnent cum alitibus, augurales certè aues & bruta sensum diuinitatis, futurorumque præscientiam habentia, si Celso credendum, ea cæteris significarent: neque passer ille Homeri nidulasset eo loco, in quo draconi præda & cibus fieret, vnà cum suis pullis omnibus, & draco ille, cuius alibi idem meminit, cauisset ne corriperetur ab aquila. Ait enim homerus poëta admirandus de priore:

Visum illic magnum monstrum, Draco terga cruentis
Distinctis maculis, aræ sublapsus ab imo
Prosiliens pede. Sic Saturnius ipse volabat,
Ipse vago lapsu ramos amplexus, in altum
Euasit platanum, tetigitque cacumina, quorum
Nidus in arce fuit, numero bis quatuor intus
Passeris includens pullos, qui frondibus altis
Hærentes, exultabant implumibus alis.
Quos omnes vano matrem stridore vocantes
Cùm Draco pestifero depastus dente fuisset,

Ipsam

A *Ipsam etiam matrem circum sua pignora frustrà*
Sollicitas querelis quatientem vocibus alas
Corripuit, atróxque auidam demisit in aluum.
Protinus in saxum mutatum Iuppiter ipsum
Conspicuum posuit. Sed nos horrenda Deorum
Constitimus stupido mirantes omnia visu:
Præcipuè quanam ratione ad sacra deorum
Tam dirum venisset opus, monstrúmque nefandum.

De secundo verò,

Hæc inter super ecce volans Iouis ales acutis
Vnguibus inuoluens maculosum terga Draconem,
Immanémque & seminecem, qua parte sinistra
Troiani hostiles certabant vellere muros,
Circuit. Ille ferox conuerso gutture retrò
Imprimit in summo raptricis pectore dentes.
Illa dolore amens, resolutis vnguibus anguem
In medios Troas demisit, & inde volatu
Quàm potuit celeri se proripit ales in auras,
Ingenti clamore sonans. Hæc monstra videntes
Troiani trepidare omnes, & credere læuum
Augurium esse Iouis, cui præbuit vbera capræ:

B Aquila igitur erat vaticina: Draco verò (nam & eo vtuntur animanti augures) non item: nisi quis ex euentu coniecturam sumens, dicat etiam draconi eandem facultatem fuisse, quàm Aquilæ, cuius vngues alioqui non potuisset euadere. Sunt & alia plurima, ex quibus colligitur, non præscientiam inesse brutorum animæ, sed vt poeta & vulgus sentiunt ipse olympius Iuppiter in lucem misit. Quin & Apollo accipitris auspicio quædam significat. Is enim dicitur Appollinis celer angelus. Nostra autem sententia dæmones quidam praui sunt, &, vt sic nominem, Titanici, & Gigantei, erga verum Deum & cœlestes angelos impij. Hi lapsi è cœlo, & circa crassiora corpora & impura super terram volutantes, habentes aliquam futurorũ perspicientiam, tanquam terrestribus corporibus vacui, & talibus operibus occupati, volentes à verò Deo hominum genus abducere, insinuant se animalibus rapacitate feris & agrestioribus & nôcentioribus, eáque quolibet, & quãdolibet, impellunt, phantasias istiusmodi animalium ad hos & illos volatus & motus conuertentes, vt homines brutorum animantium diuinatione capti, Deum brutorum Dominum non requirant, neque puram pietatem examinent, sed mentem suam in terram deiiciant ad alites, dracones, vulpes & lupos. Obseruatum enim à talium peritis efficaciora præsagia per huiusmodi animantes fieri,
C quòd dæmones nõ possint in mansuetioribus tantam vim exercere, quantam in illis, propter malitiæ similitudinem, quæ tamen in animalibus non est propriè malitia, sed quasi malitia. Vnde hoc quoque, si quid aliud in Mose sum admiratus, admiratione dignum pronuntio, quòd consideratis animalium naturis differentibus, siue diuinitùs edoctus ipsorum qualitates, & quid cognationes cum quibus dæmonibus singula animalia habeant, siue suapte sapientia peruestigatis eorum ordinibus, omnia quidem immunda declarant, quæ Aegyptij & cæteri homines putant esse vaticina, quemadmodum quæ non sunt eiusdem generis munda. Nam etiam in immundis apud Mosem est lupus, vulpes, draco, aquila, accipiter, & his similia: & maxima ex parte non solùm in lege, sed & in Prophetis inuenies istius generis animalia in exemplum pessimorum assumi, nec vnquam in bonam rem lupum aut vulpem nominari. Itaque videtur quæque dæmonum species habere inter animalia quampiam speciem sibi similem. Et quemadmodum inter homines aliis sunt potentiores, non semper quia meliores: ita fieri potest, vt dæmones dęmonibus sint potentiores in rebus mediis & indifferentibus, vtentes aliis animalibus alij, quò decipiāt homines iuxta voluntatem Principis huius seculi, vt eum Scriptura nostra nominat, nunc per hęc, nunc per ista præsagientes. Ac vide execrationem dæmonum, quo modo etiam è mustelis quidam capiant præsagia, & tecum ipse reputa, vtrũ sit melius admittere, à Deo & eius filio moueri aues & reliquas animantes ad diuinationem, an vim suam in eis exercere, non in hominibus, hominibus tamen præsentibus, malos, & vt sacræ nostræ literæ nominant, immundos dæmones. Quòd si propterea diuina est auium anima, quia per ipsas futura prædicantur, quin potius de hominis anima sic sentimus, quando ex horum verbis sumuntur omina. Diuina igitur iuxta hoc fuit apud Homerum ancilla pistrinaria, sic procis ominans: D

Vltima nunc cœnent, extrema hîc pocula sumant.

Et hæc quidem diuina erat, non Vlysses, tantus alioqui homericæ Mineruæ amicus, sed intellecto diuinæ pistricis omine gaudebat, vt Poëta inquit,

Omine pistricis gaudebat diuus Vlysses.

Iam autem, si aues diuinam habent animam, & Deum sentiunt, aut (vt Celsus nominat) Deos, certè etiam nos sternutantes, è quadam in nobis diuinitate & vaticinandi in anima facultate, sternutamus. Nam etiam istud testantur multi, proptereáque Poeta ait.

Oranti sternuit ille. E

Proinde & Penelope,

Sternutans omen verbis mihi nate dedisti.

Verus autem Deus ad futurorum notitiam brutis animantibus non vtitur, neque quibuslibet hominibus, sed animis hominum sanctissimis & purissimis, quas quidem numine corripit, & vaticinas reddit. Quocirca si quid aliud dictum mirificè in mosis lege, etiam ista in his sunt recensenda. Nõ augurabimini, neq; ex auibus sumetis auspi- *Leuiti.4.*
cium. Et alibi, Nam gentes, quas Dominus Deus tuus de- «
lebit à facie sua, ipsæ omnia & dominationes obseruant. «
Tibi autem non ista dedit Dominus Deus tuus. Ac mox «
subiungit, Prophetam excitabit Dominus Deus tuus de *Deut. 8.*
fratribus tuis. Quin & olim Deus per augurem auertere ab «
augurandi disciplina, curauit Spiritum in augure dicere: «
Non enim est augurium in Iacob, neq; diuinatio in Israel. *Num. 24*
In tempore loquetur Iacob, & Israeli verbum suum perfi- «
ciet Deus. Hæc & similia cognoscentes, damus operam, vt «
arcanum illud mandatum seruemus, Omni custodia serua *Prou.4.*
cor tuum, ne fortè in mentem nostram obrepat aliquod «
dæmonium, aut spiritus aliquis aduersarius cogitationes «
nostras vertat pro suo arbitrio: precamurque vt luceat in «
cordibus nostris illuminatio notitiæ gloriæ Dei, inuisente «
nostram imaginationem Dei spiritu, & suggerente diuinas «
cogitationes. Nam quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij *Rom.8.*
Dei sunt. Sciendum autem præscientiam futurorum non F
esse rem omninò diuinam: Est enim per se media, æquè in «
bonos & malos cadens. Et quidem medici è medicina quędam prænoscunt, etiamsi praui fuerint moribus. Sic etiam gubernatores, etsi improbi extiterint, præuident signa, & ventorũ tẽpestates, & aeris mutationes, quadã experientia & obseruatione. Nec ex eo quisquã eos diuinos dixerit si prauis moribus afficiantur. Falsum igitur quod à Celso «
asseritur, Quid dici possit diuinius futurorum prænotione & præsignificatione? falsum præterea multas animantes sibi vendicare diuinam cogitationẽ: Nullum brutum Dei habet intelligentiam. Falsum item bruta animantia propè frui diuino colloquio, quando etiam homines alioqui excellẽtes, si improbi sint, longissimè absint à Dei colloquio, quod solis verè sapientibus, & certè piis conceditur, qua-
les sunt nostri Prophetæ & Moses, cui testimonium perhi- *Exod.14.*
bet multæ puritatis gratia Dei verbum, inquiens, Moses «
solus accedet ad Deum: cæteri non accedent. Iam illud «
quàm impiè ab isto nos accusante vt impios, dicitur, Non «

G solùm sapientiora esse bruta humano genere, sed & Deo chariora. Quis verò attendens istum non execrabitur dicentem, Draconem, vulpem, lupum, aquilam, accipitrem magis, quàm humanam naturam à Deo diligi? Hinc enim sequitur, siquidem Deo sunt chariora animalia bruta hominibus, etiam Socratem, & Platonem, & Pherecydem, & modò celebratos Theologos, minus à Deo diligi: quam fœlicitatem in caput Celsi verti meritò quis precabitur, vt cum iis ex æquo Deo charus sit, fiátque ipsorum similis. Nec tamen putet sibi esse imprecatum. Quis enim nō optarit fieri quàm simillimus iis, quos putat Deo longè charissimos, vt & ipse similiter ametur à Deo? Porrò dum vult colloquia brutorum nostris esse sanctiora, non quibuslibet attribuit hanc sententiam, sed intelligentibus: Intelligentes autem sunt verè boni: Nullus enim malus intelligens. Hoc igitur modo loquitur: » Aiunt viri eruditi etiam » colloquia inter bruta fieri, nostris certè sanctiora, eáque se » intelligere satis declarare, ipsa re, dum prædicunt hoc aut » illud facturas aues, aut abituras aliquo, ita vt prædixerant. At proculdubiò nullus intelligens ista commemorauit, nullus sapiens sanctiora dixit brutorum animalium quàm hominum colloquia. Alioqui iuxta rationes Celsi sanctiora erunt, quàm grauissimæ Pherecydis & Pythagoræ, & Platonis & Philosophorum disputationes: quod non modò est improbabile, verumetiam absurdissimum. Sed esto esse aliquos, qui ex hac inarticulata & incondita auium
H voce didicerint prædicere abituras aliquò, facturásve hoc aut illud: Dicemus hoc quoque dæmonas quibusdam symbolis siue signis patefecisse hominibus, non in aliud, quàm vt eos decipiant, eorumque mentem abstrahant à cœlo & à Deo in terram, aut etiam inferius. Cæterùm nescio vbinam Celsus Elephantorum iuramentum audiuerit, esséque hos nobis religiosiores erga cœleste numen, habetéque Dei notitiam. Multa enim & admiranda scio de huius animantis natura & mansuetudine narrari: at de eius iureiurando non memini apud quenquam aliquid tradi, nisi fortasse mansuetudinem & fœdus cum homine semel initū, iusiurandum perpetuò seruatum interpretetur: quod etiā falsum est. Nam etsi rarò, nonnunquam tamen eos oblitos consuetudinis, efferatos contra homines legimus, & ob id è dominorum sententia necatos, vt inutiles. Quoniam autem mox in argumentum pietatis, qua nos illis inferiores videri vult, adiecit Ciconias, educationis vicem reddere suis parentibus: respondemus ne hoc quidem ex officij agnitione, aut ratiocinatione aliqua, sed naturæ instinctu facere, in brutis exemplum præbentis hominibus, vt genitoribus gratiam referant. Quòd si Celsus sciret quantum intersit, ratione hæc fiant an natura, numquam magis pias ciconias hominibus dixisset. Præterea velut pro pietate brutorum animantium dimicans Celsus, producit Arabibicam Phœnicem in medium, post multorum annorum
I interualla in Aegyptum deuolantem, eòque deferentem patrem suum mortuum, & in globo myrrhæ sepultum, vt in Solis fano reponat. Id narratur quidem: sed si quidem verum est, potest esse naturale. Et fortassè diuina prouidentia largitatem suam hominibus commendare voluit, tam numerosa varietate animalium, quibus ornauit mūdum hunc, adeò vt non desit ales, & animal in suo genere vnicum, nō vt ipsam auem miremur, sed eius conditorem potius. Quoniam autem post hæc omnia sic Celsus con» cludit, Ergo non homini omnia facta sunt, sicut nec leoni, » nec aquilæ, nec delphino, sed quò mundus hic, vt Dei opus » integrum & perfectum, ex omnibus fiat, ideò diuersa sunt » omnia, non vt inter se, sed vt vniuersitati congruant: Nam » hæc Deo curæ est. Hanc numquam destituit prouidentia, » nec detrimentum sinit capere. Hanc nec post certa seculo» rū interualla intermisit, nec iratus hominibus, quibus nō » magis indignatur quàm simiis aut muribus: Nec illis mi» natur, quorum vnum quodque in sua parte suam sortem est consecutum. Age, paucis ei occurramus. Puto autem iam ex antè dictis satis ostensum, homini & omni rationali naturæ omnia esse facta. Potissimum enim propter rationale animal omnia creata sunt. Dicat igitur Celsus, non esse facta homini, vt neque leoni, neque cæteris quæ nominat. Nos autem asseremus Deum non ista fecisse leoni, K neque aquilæ, neque delphino, sed omnia propter rationale animal, & vt Dei hoc opus integrum perfectumque omnibus partibus absoluatur. Nam huic vt rectè dicto assentiendum est. Sed non solam vniuersitatem Deus curat, vt Celsus opinatur, sed præter eam præcipuè quicquid rationis est particeps, nec vnquam curare desinet. Nam etiamsi detrimenti aliquid capiat rerum vniuersitas, propter vitiatam rationalem naturam, non cessat tamen prouidentia: quominus peccatum expiet, & post interuallum temporum ad se conuertat omnia. Nec simiis irascitur aut muribus, sed homines legum naturæ transgressores pœnis castigat, eísque per Prophetas minatur, atque etiam per eum, qui aduentu suo seruauit genus hominum, vt territi ad bonam mentem se vertant: contemptiores autem sermonis emendatorij, pœnas, vt par est, luant meritas, quemadmodum Deum decet punire noxios in ipsorum vtilitatem, quibus emendatione tali opus est. Cæterùm quia iam quartum volumen satis excreuit, hîc finem sermoni faciamus. Faxit Deus per suum filiū, qui est Deus, verbum, & sapientia, & veritas, & iustitia, & quicquid ei sacræ Scripturæ de Deo loquentes tribuunt, vt quintum quoque ordiamur in lectorum vtilitatem, cumque verbi ipsius in nostram animam illapsu præclarè absoluamus.

DE LIBERO ARBITRIO, ET Scripturarum quæ ipsum videntur tollere, dissolutio atque interpretatio. L

CAP. XXI.

E tomo tertio de Principiis. Cap. I.

QVONIAM prædicatio Ecclesiastica de iusto Dei iudicio tractationem cōplectitur, quæ sanè, dum vera creditur, auditores ad rectè viuendum, & ad peccatum omnibus modis fugiendum hortatur, siquidem in nostra esse potestate res laude & vituperatione dignas fateantur: age etiam de libero arbitrio seorsum pauca disseramus, præsertim cùm quæstio maximè necessaria videatur. Vt autem quid sit liberum arbitrium intelligamus, eius notio declaranda est, ea vt diligenter explicata, id de quo est quæstio, constituatur. Eorum quæ mouentur, nonnulla in se motus habent causam, nonnulla extrinsecus duntaxat mouentur. Extrinsecus sanè solum motus habent causam, quæ feruntur veluti ligna, & lapides, & omnis materia, quæ sola habitudine continetur. Sed nunc silentio prætereamus, quod dicitur motum corporum esse M fluxum: nam ad propositum istud nullam affert vtilitatem. In seipsis verò motionis habent causam atque principium animalia & stirpes, denique omnia quæ natura & animo continentur, in quibus metalla numerant. Præterea ignis etiam ipse per se mouetur, fortassè & fontes. Istorum *Est, & A se.* quæ in se mouendi causam continent, alia aiunt è seipsis moueri, à seipsis alia: è seipsis inanima, à seipsis animata. Nā animata à seipsis agitantur, phantasia ingenita vim atque impetum prouocante. Rursum in nónnullis animalibus phantasiæ impetum prouocant, natura phantastica siue imaginatrice impetum certo ordine & definito commouēte: Exempli gratia, In Araneo texendi phantasia existit, & impetus consequitur ad texendum, natura imaginatrice præfinitè ad istud ipsum concitante, & animali nullius alterius rei potest imaginantē ipsius naturam, persuasionē induente. Idem contingit in Api ad fingendos fauos. At animal rationis particeps præter naturam imaginatricem habet rationem, quæ de phantasiæ formis indicat, alias reiiciens, alias ita suscipiens, vt animal ipsis agatur. Quocirca quoniam in rationis natura atque vi, quædam sunt causæ & adminicula ad honestum & turpe contemplandum, quæ si sequimur, & honesti atque turpis formam cernimus,

A mus, honestum eligimus, turpe declinamus: laude profe-
ctò digni sumus, dum nos ipsi honestis actionibus tradi-
mus, vituperatione, dum contrarias amplectimur. Cæte-
rùm non est ignorandum intentionem naturæ ad omnia
dispositæ, multipliciter versari in animantibus, secundum
plus videlicet & minus, ita vt prope rationis facultatem,
vt sic dicam, vestigandi munus sit in canibus, & bellan-
di in equis. Iam verò aliquid extra positum accidere, phan-
tasiam hanc illam nobis ciens, citra controuersiam non est
de iis, quæ in nostra potestate existunt. At iudicare, vt hoc
modo aut illo propositis vtamur, non alterius officium est,
quàm rationis nobis insitæ, quæ vel propter occasiones
nos ad impetus ad honestum & consentaneum incitantes
inclinat, vel ad contrarios conuertit. Quod si quis ipsum
extrinsecus mouens, tale esse sentit, vt ei nullo modo possit
occurri, domandis intendat suis affectibus & perturbatio-
nibus, ne voluntas & consensio, & præcipuæ animi partis
inclinatio, & quasi momentum in eam rem propter hu-
iusmodi persuasiones incumbat. Non enim, verbi gratia,
mulier ei qui temperatè viuere, & continere se à coitu de-
creuit, apparens, atque ad aliquid contra propositum agē-
dum inuitans, perfecta causa est cur propositum negligat.
Omninò enim delectatus titillatione & illecebra volupta
tis, non deliberans ipsi resistere, neque institutum firmare,
in intemperantiam incidit. Contrà alteri, qui pluribus di-
B sciplinis est instructus, in eisque se exercuit, eędem quidem
titillationes & illecebræ contingunt. At ratio, quippe quę
vehementius est robotata, & in meditatione educata, &
sentētiis ad virtutē pertinentibus cōfirmata, aut certè pro-
pe confirmationem perducta, illecebras expellit, & libi-
dinem dissipat atque dissoluit. His autem sic à nobis per-
petratis, res extrinsecus obiectas accusare, & seipsos culpa
liberare, se similes lignis lapidibúsque ab externis motori-
bus tractis declarantes, neque verum est, neque consenta-
neum: sed hæc oratio hominis est cupientis notionem li-
beri arbitrij corrumpere. Nā si ipsum interrogemus, quid
liberum arbitrium, respondebit, si nihil extrinsecum oc-
currat, quod nos in cōtrarium prouocet. Rursum imbecil-
lem corporis constitutionem accusare, contra rationem
est perspicuè. Nam ratio atque doctrina intemperantes &
agrestissimos conuertit, si monita sequantur: & ita mutat
in melius, vt sæpenumerò ex incontinentissimis castissimi
euadentes, non iidem videantur esse qui prius. Sic ex mori-
bus agrestissimis quidam ad tantam mansuetudinem per-
ueniunt, vt qui numquam agrestem vitam egerint, agre-
stes esse videantur comparatione huius, qui ad mansuetu-
dinem est immutatus. Contrà alios cernimus compositis-
simos & honestimos, deterioribus colloquiis deprauatos,
cōpositā & honestam vitam excutere, adeò vt in intempe-
rantiam, vitæque confusionem incidant media sępè ætate,
C postquā iuuentutis instabilitas, quæ tum est maxima, prę-
teriit. Ratio igitur ostendit extrinsecùs incidentia non es-
se in nostra potestate. Vt autem hoc vel contrario modo i-
stis ratio vtatur, disceptās & iudicans qui oporteat exter-
nis obiectis occurrere, nostrum est munus. Quòd autem
munus officiumque sit nostrum, non autem ipsius, hone-
stè viuere, & id à nobis postulet Deus, neque ex iis quæ ex-
trinsecus accidunt, vel vt quidam putant, fato cogamur,
Mich.6. testatur Micheas Propheta, dicens, Si annuntiatum est, ô
,, homo, quid bonum, aut quid Dominus requirat à te, nisi
,, vt facias iudicium, & diligas misericordiam, & paratus sis
Deut.30. ire cum Domino Deo tuo. Et Moses, Posui ante faciem tuā
,, viā vitæ & viā mortis, vt eligas quod bonū est, & incedas
Esa.1. cum eo. Et Esaias, Si volueritis & audieritis me, bona terrę
,, comedetis. Si nolueritis neque audieritis me, gladius exe-
Psal.80. det vos. Os enim domini locutum est hoc. Et in Psalmis,
,, Si populus meus audisset me, & Israël in viis meis ambu-
,, lasset, in nihilum inimicos eorum humiliassem, & in af-
,, fligentes eos iniecissem manum meam. Quibus ostēdit, in
,, populi fuisse potestate, audire & incedere in viis Dei. Sed
Matt.5. & Saluator dicens, Ego autem dico vobis nō resistere ma-
,, lo. Et, Quicunque iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio.
Matth.7. Et, Quicunque inspexerit mulierē ad concupiscēdū eam,

mœchatus iam est in corde suo. Et cùm dat cætera quæque D
mandata, quid aliud indicat, nisi quod in nostra potestate
est obseruare quæ mandantur? Et propter hoc rectè rei ef-
ficimur iudicio, si præuaricemur. Vnde &, Omnis qui au- ,,
dit (inquit) verba mea, & facit ea, similis est viro pruden- ,,
ti, qui ædificauit domum suam super petram, & cætera. ,,
Qui autem audit hæc, & non facit, similis est viro stulto, ,,
qui ædificauit domum super arenā. & reliq. Et illud quod ,,
dicit his, qui à dextris eius sunt, Venite Patris mei, & cæt. *Matt.25*
Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis ,,
mihi bibere: euidenter ostendit se his dare promissiones,
velut laudis suæ auctoribus, & è contrariò aliis, tanquam
vituperandis ex sese, ait, Discedite maledicti in ignem ęter- ,,
num. Videamus quomodo etiam Paulus velut potestatem ,,
arbitrij habentibus nobis loquitur, & tanquam in nobis
ipsis vel salutis, vel perditionis habentibus causam, ait: Aut *Rom.2.*
diuitias bonitatis ac patientiæ ac longanimitatis contem ,,
nis, ignorans, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te ad- ,,
ducit? Secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitēs ,,
thesaurizas tibi iram in die iudicij & reuelationis iusti iu- ,,
dicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opus eius, his ,,
quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloria & ,,
incorruptio, qui quærunt vitam æternam: his autem qui ,,
ex contentione, & qui non credunt quidem veritati, cre- ,,
dunt autem iniquitati, ira, indignatio, tribulatio & angu- ,,
stia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæo ,,
primùm & Græco. Infinita quidem alia in sanctis Scriptu- E
ris inuenies arbitrij libertatem constituentia: At quoniam *Obiectiones Origenis.*
in contrarium, id est contra liberum arbitrium, licere serua-
re mandata, & saluari, item ea transgredi & perire quædā
è veteri & nouo Testamento dicta contendunt, age aliqua
ex parte proferentes ea, illorum solutiones inspiciamus,
quò ex his quæ proposuerimus, etiam cæterorum, quæ si-
militer arbitrij libertatem videntur tollere, absolutio fiat
euidens. Sanè quamplurimos mouent ea, quæ de Pharao- *Primus locus.*
ne dicuntur, de quo Deus per oraculum frequenter ait, E-
go indurabo cor Pharaonis. Si enim à Deo induratur, & *Exod.3.*
per hoc quod induratur delinquit, non sibi ipse extitit cau *4.7.& 8.*
sa delicti. Quod si ita est, non videbitur Pharao suæ fuisse
potestatis, & iam consequenter asseretur, quòd à simili, nec
cæteri qui pereunt, habeant arbitrij libertatem, nec à sei-
psis causam perditionis accipiant. Præterea quod in Eze- *Secundus*
chiele scribitur, Auferam eorum lapidea corda, & immit- *Ezec.11.*
tam eis carnea, vt in præceptis meis incedant, & iustitias ,,
meas custodiant: mouere possit aliquem, quasi Deus det ,,
vel incedere in suis mandatis, vel suas iustificationes custo- ,,
dire, dum id quod obstat ad custodienda mandata, cor la- ,,
pideum aufert, & melius, nempè carneum, imponit & in- ,,
serit. Præterea inspiciamus etiam illud, quod in Euangelio *Tertius.*
Dominus & Saluator respondit ad eos, qui quærebant ab *Esa.6.*
ipso, quare ad turbas in parabolis loqueretur? Vt videntes F
(inquit) non videant, & audientes non audiant & intelli- ,,
gant, ne fortè conuertantur, & remittatur eis. Sed & illud
à Paulo Apostolo dictum est, Non est volentis neque cur- *Quartus*
rentis, sed miserentis Dei. Et alio loco, Et velle & perficere *Rom.9.*
à Deo est. Et iterum in alio loco, Ergo cui vult miseretur, *Quintus Philip.2.*
& quem vult indurat. Dices itaque mihi, Quid ergo ad- *Sextus.*
huc culpamur? voluntati enim eius quis resistet? O homo, *Rom.9.*
tu quis es, qui contrà respondeas Deo? Numquid dicit fig-
mentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet
potestatem figulus luti, ex eadē massa facere vas aliud qui-
dem in honorem, aliud autem in contumeliam? hæc & his
similia per se satis sunt ad multos conturbandos, ne homi-
nes putentur sui esse arbitrij, sed ex Dei voluntate vel sal-
uetur aliquis, vel pereat. Incipiamus igitur ab iis quæ ad
Pharaonem dicta sunt, quia à Deo dicitur induratus, ne po- *Primus locus diluitur & quartus.*
pulum dimitteret, cum quo etiam pariter Apostoli ille
sermo tractabitur, Ergo cui vult miseretur, & quem vult
indurat, Hic enim præcipuè abutuntur hæretici quidam,
propemodum liberum arbitrium tollentes, quòd naturas
introducant perditas, salutis minimè capaces, & alias quæ
saluantur, nec possunt vllo modo perire. Vnde & aiunt
Pharaonem, quoniam naturæ erat perditæ, propterea in-

G duratum à Deo, qui indurat terrenos, spiritalium autem miseretur. Videamus ergo quale istud quod asserunt, & interrogemus eos primò, vt respondeant nobis, an terrenæ naturæ, quam perditam dicunt, asserant fuisse Pharaonem. Si respondeant, terrenæ: Ergo quia naturæ terrenæ erat, credere Deo vel obedire resistente natura omninò non potuit. Quòd si hoc ei erat per naturam, quid opus erat indurare cor eius, & hoc non semel, sed frequenter, nisi quod vtique poterat persuaderi. Et omninò quidem, vt potè non terrenus, prodigiis & signis flexus, persuasus fuisset: sed eo egebat Deus, vt ipso non credente neque obtemperante, ad multorum salutem magnitudinem suam magis ostenderet: & per hoc cor eius dicitur indurare. Hæc autem dicta sint primùm aduersus illos, vt illa eorum subruatur assertio, qua putant naturaliter perditum fuisse Pharaonem. Sed & de his, quæ ab Apostolo Paulo dicta sunt, similiter

Quartus locus diluitur.

aduersus eos agemus. Quos enim indurat Deus secundũ opinionem vestram? Nempe eos, quos naturæ perditæ dicitis, quasi aliquid facturos, si non fuissent indurati: aut profectò saluandos, quod non essent perditæ naturæ. Tũc deinde nobis dicite, quorum miseretur Deus? Nónne eorũ qui saluandi sunt? At in quo isti secunda misericordia indigent, qui semel saluandi sunt per naturam, & ad beatitudinem veniant naturaliter, nisi quia etiam ex his ostenditur, quòd quia perire poterant, idcircò misericordiam consequuntur, vt per hoc non pereant, sed veniant ad salutem,
H & piorũ regna possideant? Et hæc quidem dicta sint aduersus istos. Quærendum autem aduersus illos, qui se existimant intelligere indurationis sententiam, quo pacto dicant Deum efficienter cor indurare, & aliquid addendo istud facere. Obseruent enim Dei mentem, re quidem vera iusti & boni, aut duntaxat, vt hoc eis nunc concedatur, iusti, & ostendant quomodo bonus & iustus, aut iustus duntaxat, videatur iustus, dum cor hominis indurat, qui ex ipsa induratione peccat, & perit, & quomodo in hoc Dei iustitia defendetur, si ipse iis causa perditionis existit, quos pro eo quòd duritie increduli extiterunt, ipse postmodum iudicis auctoritate damnauit. Quid etiam culpat eum, dicens, Tu autem, quoniam non vis dimittere populum

Exod.12.

meum, ecce percutiam omnia primogenita in Aegypto, & primogenitum tuum, & quæcunque alia scripta sunt per Mosem, quæ Deus dixit ad Pharaonem. Necesse est enim omnem, qui vera credit, quæ Scripturis asseruntur, & Deum esse iustum, pro iis omnibus reddere rationem, quo pacto per hoc nihil prorsus Dei iustitiæ derogetur, quoniam licet bonum eum neget, iustum tamen & mundi creatorem fateatur. Alia enim respondendi est ratio aduersus eos, qui malignum mũdi huius asserunt creatorem. Quoniam autem aiunt se de eo disputare, vt de iusto, etiam nos, qui non solùm iustum, sed & bonum Deum fatemur, dispiciamus diligentiùs, quo pacto bonus & iustus cor Pharaonis indurauit. Vide igitur, si fortè aliquo exemplo, quo in epistola ad Hebræos vsus est Apostolus,
I possumus ostendere, quomodo vna eadémque actione Deus alterius quidem miseretur, & alium indurat, nõ proponens vt induretur ille qui induratur, sed dum benignitate sua, ad quam propter malitiæ subiectum mali insiti

Heb.6.

induratio sequitur, id quod duratur, indurare dicitur. Terra enim bibens super se venientem imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Igitur vnum est opus, quo Deus imbrem terræ largitur. At vna cùm sit imbris operatio, alia quidem terra diligenter exculta, fructus affert bonos: alia quæ negligenter culta est, spinas & tribulos profert. Et quamuis durum videatur, pluentem Deum dicere, fructus bonos ego feci, & spinas in terra, verè tamẽ dicitur. Nisi enim imber extitisset, nec fructus nec spinæ essent exortæ: superueniente verò pluuia in tempore & modo, vtrumque terræ produxit. Proferens igitur spinas & tribulos terra, super se venientem sæpè bibens imbrem, reproba est & maledicto proxima. Imbris igitur beneficium etiam super deteriorem terram decidit. At res subiecta cùm negligeretur, K
& sine cultura desereretur, spinas & tribulos germinant. Sic certè signa & virtutes, quæ à Deo fiunt, imbres quidã sunt, & à Deo desuper ministrantur: sed voluntates sunt differentes, veluti culta terra & neglecta vnius sunt naturæ, cùm sint terra, non tamen vnius eiusdémque culturæ. Similiter si sol vocem sortitus diceret, Ego resoluo & sicco, cùm contraria sint resolutio & siccatio, nõ diceret falsum ratione subiectorum, dum vna eadémque caloris virtute sol quidem ceram soluit, limum verò arefacit & stringit: non quòd virtus eius aliter in limo, & aliter operetur in cera, sed quòd limi alia, alia ceræ sit qualitas. Ita ergo vna eadémque operatio Dei, quæ per Mosem in signis & virtutibus gerebatur, Pharaonis quidem duritiam arguebar, propter eius malitiam, reliquorum verò Aegyptiorũ, qui Israëlitis admiscebantur, obedientiam & facilitatem. Quod verò scriptum est, quod paulatim emolliretur cor

Exod.8.

Pharaonis. vt aliquando diceret, Non longè abeatis, iter tridui abibitis, sed vxores vestras relinquite: & cætera alia, paulatim cedens signis. Quid enim aliud ex his indicatur, nisi quòd agebat quidem in eo aliquid signorum & mirabilium virtus, non tamen totum operabatur? Si enim à Deo est induratio, quemadmodum plurimi putant, non vtique inueniretur vel in paucis acquiescere. Præterea non absurdum vel è communi consuetudine modum loquendi mitigare. Frequenter enim benigniores quique domini, L
ad eos seruos, qui per multam patientiam & mansuetudinem dominorum insolentiores improbioresque fiunt, dicere solent, Ego te improbum feci. Ego tibi causa tantorũ scelerum, qui non te statim per singulas culpas punio. Necesse est enim nos tropum vel figuram sermonis aduertere, & ita demum virtutem dicti intelligere, nec inferre calumnias verbo, cuius interiorem sensum diligẽtiùs exploremus. Denique Paulus ista perspicuè disquirens, ad peccantem inquit,

Rom.2.

An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quia benignitas Dei ad patientiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi ipsi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Quæ enim dicit ad peccantem Apostolus, dicantur ad Deum: & certè congruenter inuenientur ista de ipso dici, secundum duritiam eius & impenitens cor sibi thesaurizantis iram: quia numquam duritia eius ita argui, & in manifestum venire potuisset, nisi signa & prodigia tam multa extitissent, tamque magnifica. Quoniam autem creditu difficiles videntur probationes, & violentæ existimantur adhibeamus etiam propheticæ authoritatis assensum, & videamus quid Prophetæ pronuntient de iis, qui benignitatem Dei experti, non rectè vixerunt, sed postea peccauerunt.

Esaie.6.

Vt quid Domine, errare nos fecisti à via tua? & quare indurasti cor nostrum, vti non timeremus nomen tuum? Conuertere propter seruos tuos, propter tribus hæreditatis tuæ, Et paruum aliquid hæreditatis capiamus M
de monte sancto tuo. Et in Ieremia.

Ierem.20.

Seduxisti me, Domine, & seductus sum: tenuisti, & potui. Illud enim, Vt quid Domine, indurasti cor nostrum, ne timeremus te, dictum ab iis, qui misericordiam precabantur, morali tropo sic est accipiendum: Vt quid in tantum pepercisti nobis, nec visitasti nos cum peccaremus, sed reliquisti nos, donec ad summum peccatorum perueniremus? Derelinquit autem, dum non punit, vt singulorum mores ex arbitrij libertate exquirantur, & meliores è cruciatu inflicto innotescant. Reliqui autem non lateant, non quidem Deum, qui nouit omnia antequàm fiant, sed rationabiles creaturas, & ipsos qui postea curationem consequũtur, beneficium minimè cognoscentes, nisi seipsos condemnauerint. Quod quidem vnicuique confert, vt suam conditionem & Dei gratiam sentiat. Nam qui non intellexerit prius infirmitatem vel ęgritudinem suam, etiamsi beneficiis afficiatur, non seipsum tentans, neque condemnãs, virtutem sibi à gratia cœlesti administratã peculiariter attribuet. Quæ res sine dubio arrogantiam generat & elationem, & causa sit ruinæ. Quod etiam de Diabolo sentimus,

A mus, qui primitùs honores suos proprios, & non à Deo datos credidit, quos habebat tunc, cùm erat immaculatus: & impleta est in eo sententia, quæ dicit, Omnis qui se exal-
Luc. 14.
„ tat, humiliabitur. Omnis qui se humiliat, exaltabitur.
„ Considera autem, vt propterea occultata sint prudentioribus & sapientioribus diuina mysteria, ne quemadmodum dicit Apostolus, glorietur omnis caro in conspectu Dei, & reuelata sint paruulis, his videlicet, qui post infantiam ad præstantiora contendunt, & meminerunt, quod non iam suis virtutibus, sed ineffabili Dei gratia & misericordia beatitudinem sunt consecuti. Igitur diuino iudicio derelinquitur is qui derelinquitur, & patientiam habet Deus super nonnullis peccantibus, non tamen sine certa ratione, sed ad vtilitatem ipsorum, vt ad animæ immortalitatem & sempiternum æuum, non celeriter cooperetur ad salutem, sed tardius ad ipsam adducat, vbi peccans plurima mala fuerit expertus. Sicut enim medici interdum, cùm possint celerius obducere vulnerum cicatrices, præsentem dissimulant & differunt sanitatem, melioris firmiorísque sanitatis prospectu, dum melius esse norunt moram facere in tumoribus vulnerum, & maligni humoris fluentes paulisper sinere meatus, quã festinare ad superficiẽ sanitatis, & obtusis in venis fomitẽ venenati humoris includere, qui vtiq; exclusus à salutis mẽtibus, serpet sine dubio in interiora membrorũ, atq; ipsa vitalia viscerum penetrabit, non iã morbũ corpori, sed vitæ illaturus exitium. Hoc modo &
B Deus, qui noscit occulta cordis, & prænoscit futura, per multã patientiã permittit, fortasse etiã per externos casus extrahens occultum malum ad eum purgandum, qui per multam negligentiam & incuriam peccatorum in se semina recepit, vt eiecta foras atque ad superficiem prouocata, euomi quodammodo possint & digeri, vt etiam si videatur quis grauioribus affici malis, dum membrorum omnium sustinet conuulsiones, possit tamen cessare aliquando, & desinere, & satietatem capere malorum, & sic ad statum suum post multas molestias reparari. Deus enim dispensat animos, non ad istud solùm vitæ nostræ breue tempus, quod intra quinquaginta ferè annos concluditur, sed perpetuum & æternum tempus. Incorruptibilem enim facit rationabilem naturam, sibíque cognatum, & ideò non excluditur breuitate huius vitæ nostræ à curis & remediis diuinis animæ, quæ immortalis est. Sed assumamus etiam de Euangeliis eorum quæ diximus, similitudi-
Matt. 13
nem. Est quædam petra habens paruam & exiguam terram, in quam si ceciderit semen, citò memoratur exoriri: sed cùm exortum fuerit, quoniam radicem non dedit in profundum, ascendente sole, æstuare dicitur, & arescere. Quæ vtique petra sine dubio anima est humana, pro sui negligentia indurata, & propter malitiam saxea effecta. Nulli enim à Deo cor lapidem creatum est, sed per malitiam vnicuique & inobedientiam cor lapideum fieri dici-
C tur. Quemadmodum igitur, si quis increpet agricolam, quare non citiùs semina super terram petrosam iecerit, videns aliam aliquam petrosam acceptis seminibus germinasse, respondebit agricola, quia idcircò tardiùs semino istam terram, vt possit semina, quæ susceperit, retinere. Expedit enim huic tali terræ. vt posteriùs seminetur, ne forte citius germinante segete, sol omnia exurat. Atque huic agricolæ, tãquam dicenti consentanea, & scienter suum officium præstanti credemus. Sic sanè Deus vniuersæ creaturæ suæ peritissimus agricola dissimulat, & differt in aliud tempus hæc, quæ nobis videntur citiùs debuisse consequi sanitatem, ne superficies eorum potius quàm interna curentur. Si verò quis nobis ad hoc obiiciat, Quare ergo quædam semina cadunt etiam super terram petrosam, id est, duram aliquam & saxeam animam: dicendum ad hoc, quia animæ inconsideratius volenti præstantiora, neque firmiter in ea via perseueranti, non vult esse melius, vt cognoscat anima vitium suum, séque ipsam condemnet, ac consequenter se culturæ reseruet & tradat, vt postea multo tempore naturalem culturam consequatur. Innumerabiles enim nobis, quemadmodum dixerit aliq uis, sunt animæ, & infiniti earum mores, & diuersissimi singularum motus & proposita, & appetitus, & impe- D
tus, quorum vnus duntaxat est præstãtissimus œconomus, qui & nouit tempora, & congruentia auxilia, & institutiones & vias, vniuersorum Deus & pater: qui nouit qua ratione etiam Pharaonem deberet adducere per tot signa & submersionem ad id, quo Pharaonis dispensatio desiit. Non enim, quia submersus est, substantialiter interiisse putandus est. In manu enim Dei & nos & sermones nostri, „
& omnis prudentia atque operum disciplina est, sicut Scri „
ptura dicit. Atque hæc quidem pro viribus nostris disseruimus, capitulum Scripturæ discutientes, in quo dicitur Deus indurasse cor Pharaonis, &, Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Nunc videamus etiam de iis, quæ E- *Secundi*
zechiel dicit, Auferam cor lapideum, & immittam eis cor *loci solu-*
carneũ, vt in iustificationibus meis incedant, & præcepta *tio.*
mea custodiant. Si enim cùm vult Deus, aufert lapideum *Ezech. 11*
cor, & carneum dat, vt præcepta sua seruentur, neque malitiam deponere in nostra videbitur potestate. Auferri enim cor lapideum nihil aliud est, quàm malitiam, qua quis obduratur, abscindi, à quo Deus vult. Neque quod mittitur cor carneum, vt in præceptis ambuletur Dei, & eius mandata seruentur, aliud est, nisi obedientem fieri, & non resistentem veritati, & honestarum actionum studiosum. Quod si hoc promittit Deus se facturum, & antequàm auferatur cor lapideum, deponere illud à nobis non possumus, manifestum est abiicere malitiam non esse in nobis E
situm, sed in Deo: Et si nihil facimus, vt nobis insit cor carneum, sed Dei est opus, non erit nostrum opus secundum virtutem viuere, sed omninò diuina gratia. Hæc quidem dicent hi, qui volunt ex humilibus locis libertatem arbitrij tollere. Quibus respondebimus hoc sic intelligi oportere, sicut si sit aliquis imperitus & indoctus: Is quidem sentiens imperitiæ suæ notam, siue adhortatione cuiusquam, siue prudentium quorumque æmulatione pulsatus, tradat se alicui, à quo confidat se posse diligenter imbui, & ad artes atque virtutem erudiri. Is ergo, qui iam priùs obdurauerat in imperitia, si se in disciplinam tradens, magistro obtemperaturum in omnibus repromittit, etiam magister pollicebitur ablaturum se ab eo omnem imperitiam, & insertutum peritiam, non quò abnuenti discipulum vel renitenti hoc se promittat facturum, sed offerenti se, atque in omnem obedientiam mancipanti. Ita & diuinus sermo promittit his, qui accedunt, ad se ablaturum se esse malitiam, quam appellat cor lapideum, non vtique ab iis, qui nolunt, sed ab iis, qui ægrotantes seipsos medico exhibent, sicut in Euangeliis inuenimus ægrotantes accedere ad Saluatorem, rogantes, vt percipiant sanitatem, & ita demum curatos. Et est quidem, verbi gratia, vt curentur cæci, & videant, in eo quidem, quod precati sunt Saluatorem, & crediderunt ei, posse se ab eo curari, opus F
ipsorum, qui curati sunt: in eo verò, quòd eis redditur visus, opus est Saluatoris. Sic igitur diuinus sermo promittit daturum se esse eruditionem accedentibus, auferendo cor lapideum & durum, id est, abstergendo malitiam, vt possint per hoc in diuinis ambulare præceptis, & legis mandata seruare. Sequitur illud Euangelij, quod Saluator di- *Tertij loci*
cebat, Propterea his qui foris sunt, loquor in parabolis, vt *solutio.*
videntes non videant, & audientes nõ intelligant, ne *Matt. 13.*
quando conuertantur, & remittatur eis. In quo dicet, qui „
è diuerso disputat, Si omninò hi, qui manifestius au- „
dient, corrigentur & conuertentur, ita vt digni sint „
percipere remissionem peccatorum, non est autem in ipsorum potestate, vt audiant manifestum sermonem, sed in eius vtique potestate. qui docet, vt apertius & manifestius doceat: is verò qui docet, propterea se dicit manifeste eis non prædicare verbum, ne fortè audiant & intelligant, & conuertantur & saluentur, non erit sanè in ipsis vt salui fiant.

Quod si ita est, liberi arbitrij non erimus, vel ad salutem, vel ad perditionem. Et si quidem non esset adiectum quod dixit, Ne fortè conuertantur, & remitta-

G rur eis, posset probabilior esse responsio, qua diceremus, Quòd nolebat Saluator eos, quos præsciebat non esse futuros bonos, intelligere mysteria regni cœlorum, & propterea loquebatur eis in parabolis. Nunc autem cùm adiectum sit: Ne fortè conuertantur, & remittatur eis, difficilior efficitur defensio. Primùm igitur notandum, quid habeat munimenti locus iste aduersus hæreticos, qui aucupari verba de veteri Testamento solent, si qua fortè videntur eis (vt ipsi audent dicere) de Deo creatore graue & inhumanum aliquid designare, vel cùm iudicantis designatur, vel punientis affectus, vel quomodo certè ipsi hæc nominare volunt, ex quibus videlicet bonitatem denegēt esse in creatore, quoniā nō eadē mente nec eodē sensu etiam de Euangeliis indicant, nec obseruant, si qua talia etiam in Euangeliis possunt, qualia indicant vel arguunt in veteri Testamento. Euidenter enim in hoc capitulo Saluator ostenditur (sicut ipsi dicunt) propterea manifestè non loqui, vt non conuertantur homines, & conuersi remissionem accipiant peccatorum: quod quidem per se nihihil omninò minus habebit ab eis qui in veteri Testamento accusantur. Si verò etiam ipsis videntur hæc expositione indigere, si qua in Euangelio ita posita inueniuntur, consequens & necessarium erit, vt etiam ea, quæ in veteri Testamento criminantur, simili expositione purgentur: ex quibus ipsos colligemus existimare vnius eiusdémque Dei esse propter similitudinem, quæ in vtroque
H scripta sunt. Verùm ad propositam quæstionem, prout possumus, conuertamur. Dicebamus prius de Pharaone disputantes, quòd citiùs curari interdum non cedit in bonum, si quidem grauibus morbis implicati, seipsos ab iis, in quos inciderunt, liberauerint. Contemnentes enim malum, vt curata facile, dum postea non cauent in illud incidere, eò recidunt, Vnde in huiusmodi Deus immortalis, qui occultorum cognitor est, qui nouit vniuersa antequàm fiant, pro multa benignitate sua differt celeriorem istorum curationem, & medicinam protelat in longius, atque vt ita dixerim, curat eos, dum non curat, ne eos prospera sanitas insanabiles reddat. Par ergo & consentaneum est, vt apud eos, quibus foris positis Domini & Saluatoris nostri sermo fiebat, pro eo, quod scrutans corda & renes, præuidebat, nundum aptos manifestioris eloquij recipere doctrinam, profundioris sacramenti fidem velato sermone contegeret, ne fortè velociter conuersi ac sanati, id est, peccatorum suorum remissione celeriter accepta, versa facie iterum in eundem reciderent morbum, quem senserant sine aliqua difficultate curatum. Fortasse autem & luentes pœnas præcedentium peccatorum, quibus in virtutem deliquerunt, eam deserentes, nondum tempus expleuerunt, vt à diuina cura derelicti, suis malis, quæ seminarunt, maiorem in modum satiati, postea ad vehementiorem pœnitentiam vocentur, non celeriter in ea declinantes, in quæ deciderant, virtutis dignitate con-
I tumeliis affecta, & semetipsis in deteriora traditis.

Ergo sunt qui foris esse dicuntur, sine dubio ad eorum comparationem, qui intus esse, & manifestius audire verbum Dei referuntur. Audiunt tamen & isti, qui foris sunt, verbum, licet parabolis obtectum. Sunt autem alij, præter eos qui foris sunt, qui Tyrij appellantur, qui omnino non audiunt, quamuis præcogniti, quod olim in sacco & cinere iacentes, pœnitentiam egissent, si factæ fuissent apud eos virtutes, quæ apud alios factæ sunt, & tamen non audiunt, ne ea quidem, quæ hi qui foris sunt, audiunt, credo, pro eo quòd longè notum inferior & nequior ordo esset in malitia, quàm eorum qui foris esse dicuntur, vt illo tempore, postquàm terribilius erit eis, in die iudicij, quàm illis apud quos factæ sunt virtutes quæ scriptæ sunt, opportunius audientes vehementiorem agant pœnitentiam. Vide autem, an non potius nos præter disquirendi studium, etiam pietatem planè seruare contendamus, dum de Deo & Christo eius, omni ex parte rationem reddere tentamus, vt qui in tantis & talibus de varia Dei prouidentiá, animæ prouideat. Si quis igitur de probro affectis requirat, quòd cernentes prodi- K gia, & diuina verba audientes, non iuuantur, cum Tyrij fuissent pœnitentiam acturi, si tot & tanta apud ipsos facta dictáque essent: cur igitur talibus prædicauit Saluator, in ipsorum detrimentum, vt grauius peccatum ipsis imputaretur, hoc modo respondendum videtur: Deus qui vniuersarum mentium conditor est, aduersus suam prouidentiam querelas prænoscens præcipuè eorum qui dicūt, Quomodo credere poteramus, cum neque viderimus ea, quæ aliis prædicata sunt, neque audiuerimus, quibus auditis alij conuersi sunt: volens arguere occasiones huiusmodi querelarum, & ostendere quia non dissimulatio diuinæ prouidentiæ, sed humanæ mentis arbitrium, causa sibi perditionis existit, contulit etiam indignis & incredulis gratiam benefactorum suorum, vt postquàm acceperint, nihilominus conuicti tanquam impij, quòd ne post tanta quidem dona se ad vtilia dediderint, ab huiusmodi audacia desinant, & in eo ipso liberati discant, Deum beneficia in aliquos differre & tardare, nec concedere vt cernant & audiant ea, quibus visis auditisque grauius & ægrius peccatum arguitur, quàm eorum, qui post tanta & talia non crediderunt. Videamus nunc & de eo, quod dictum, Non volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Aiunt enim hi, qui contra assumunt: Si non est volentis neque *Quarti loci solutio.* currentis, sed miserentis Dei, saluari non est in nobis positum. At enim natura nostra talis est, vt vel saluemur, vel *Rom. 9.* certè in voluntate sola eius, qui cum vult, miseretur & sal- L uat. A quibus primò quærendum, velle bona, aut bonum est, aut malum? & velle currere, vt perueniatur ad bona, laudabile est vel culpabile.

Si quidem dixerint culpabile, apertè insanient, contra Sanctorum actiones, qui & volunt bona, & ad ea currunt: in quo vituperatione dignum nihil faciunt. Sin respondeant, bona velle esse bonum, itémque ad bona currere, interrogabimus rursùm, quo pacto perdita natura meliora velit. Tanquam enim arbor mala bonos fructus profert: si quidem bonus fructus est velle meliora. Quòd si tertium dixerint, quia medium est velle bona, & currere ad bona id est, neque bonum, neque malum, dicemus ad eos, Si medium est velle bonum, & currere ad bona, ergo & id quod his contrarium est, medium erit, id est, velle mala, & currere ad mala. Sed certum est, quia non sit medium velle mala, & currere ad mala, sed apertè malum. Ergo neque medium velle bona, & currere ad bona. His igitur tali responsione depulsis, ad expositionem iam sententiæ properemus, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. In libro Psalmorum Salomon (eius enim est Oda graduum, è qua verba assumimus) Nisi Dominus, inquit, ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædi- *Psal. 127* ficant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilant qui custodiunt eam. Per quæ verba non dehortatur M ab ædificando, & à custodia ciuitatis eius quæ intra nos est, sed ostendit, quia quæcunque sine Deo ædificantur, & quæcunque sine eo custodiuntur, vanè ædificantur, & sine causa seruantur. In omnibus enim, quæ benè ædificantur & benè seruantur, Dominus vel ædificationis, vel tutelæ auctor conuenienter adscribitur, vt vniuersis dominetur. Quemadmodum igitur, si conspicati aliquod magnificum opus, & præclari ædificij moles, dicamus hæc non ædificantis, aut custodientis, sed Dei omnium præsidis esse opera, qui efficit ne hæc ciuitas quicquam ab hostibus patiatur, non errabimus, quoniam præclarum opus cum gratiarum actione ad Deum quidem perficientem referimus, sed humanas vires aliquid fecisse subintelligimus: Sic & Apostolum dixisse intelligendum est. Non enim sufficit ad consequendum finem voluntas humana, nec idoneus est mortalis athletarum cursus ad cōsequendum brauium supernæ Dei vocationis in Christo Iesu, nisi hæc ipsa voluntas nostra bona, promptúque propositū, & quæcunq; illa in nobis esse potest industria, diuino vel iuuetur vel muniatur auxilio. Et ideò valdè cōuenienter dicit Apostolus, Quoniam non volentis, neque currentis, sed miserentis est

A est Dei: quemadmodum & si dicamus de agricultura il-
„ lud, quod scriptum est, Ego plantaui, Apollo rigauit, sed
„ Deus incremētum dedit: Ita neque qui plantat, est aliquid,
1. Cor. 3. neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Sicut ergo cùm bonos & vberes fructus ad perfectam maturitatē pertulit seges, nemo piè & conuenienter dicet opus esse agricolæ, aut opus irrigantis, sed opus Dei: ita etiam nostra perfectio, non quidem nobis nihil agentibus & otiosis efficitur, at à nobis tamē nō perficitur, sed Deus eius plurimam partem operatur. Vt autem euidentius istud credatur, à nauis gubernatione sumamus exemplum. Nam præter ventorum flatum, & aurarum temperationem, & stellarum splendorem, quæ ad nauigantium salutem simul conferunt, quantum momētum vt ad portum adpellatur, habere dicetur ars nautica? Si tamen nauis vndis & fluctibus fatigata, ad portum salua peruenit, nemo sani sensus, nisi misericordiæ Dei, nauis salutem ascribet. Sed nec ipse nauta vel gubernator propter reuerentiam audet dicere, Ego saluaui nauem, sed totum ad Deum refert, non quod sentiat se nihil ad saluandum nauem vel artis adhibuisse, vel laboris, sed quoniam arte & industria supra modum maius est, quod à prouidentia proficiscitur. Ita etiam & in nostræ salutis cursu multipliciter Dei actio libertatis nostræ virtutem exuperat: ob eámque causam dictum existimo, Non volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Si enim, vt isti existimant, exponendum, Non
B volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, superflua vtique erunt mandata. Frustra etiam ipse Paulus culpat quosdam decidisse à virtute, & amplectitur alios velut præclara operatos. Præcepta quædam & instituta è superfluo tradit Ecclesiis. Frustrà etiam nos ipsi vel volumus, uel currimus ad bona. Sed certum est, quòd hæc frustrà non fiunt: certum, quòd nec Paulus frustrà consulit, hos reprehendens, illos complectens. Superest ergo, vt concludamus istos locum Pauli non rectè exponere. Post hæc sequebatur, velle & perficere esse à Deo.

Quintus locus diluitur. *Philip. 2.*

Vbi quidam aiunt, Si ex Deo velle est, & ex Deo est operari, siue malè agimus, siue malè volumus, ex Deo est. Quòd si ita est, liberi ergo arbitrij non sumus. Rursum, cùm à Deo pendeat velle & operari, dum meliora volumus, & præclara operamur, non nos id facimus, sed nos quidem videmur facere, Deus autem donauit. Quare ne in eo quidem nostræ erimus potestatis. Ad quod respondendum est, quia sermo Apostoli non dicit, Quia velle mala ex Deo est, neque velle bona. Similiter neque meliora vel deteriora operari, sed vniuersè velle, & vniuersè currere. Nam quemadmodum à Deo habemus, vt simus animalia, & vt simus homines, sic etiam vniuersè, vt uelimus, atque (siquidem generaliter dicam) moueamur. Porrò quemadmodum habentes vt simus animalia, moueamur, vt verbi causa hæc membra, pedes vel manus agitemus, non conuenienter tamen nos à Deo ha-
C bere dicemus hoc aliquid, verbi gratia, motum ad verberandum, aut occidendum, aut furandum. Sed generalem quidem actum mouendi à Deo sumus consecuti, nos autem motione ad deteriora vel meliora vtimur: sic certè operari, quatenus sumus animalia, à Déo accepimus, & velle ab eodem opifice. At nos voluntate ad præclara, contrariáve vtimur, quod eodem modo de effectibus sentiendum. Sed de eo quod dixit Apostolus sibi ipsi occurrens, Ergo cui vult, miseretur, & quem vult indurat. Dices ergo mihi, Quid adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis resistet? Enimuerò homo, tu quis es, qui contrà respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? aut, Non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam? Dicet enim aliquis, Sicut figulus ex eadem massa facit alia quidem vasa ad honorem, alia autem ad contumeliam, ita Deus alios ad perditionem, alios ad salutem facit. Non est ergo in nobis vel saluos fieri, vel perire, per quod non videmur nostri esse arbitrij. Respondendum est ergo his, qui ita intelligunt, si

Sextus locus diluitur. *Rom. 9.*

potest fieri, vt possit Apostolus sibi ipsi contraria ptolo-
D qui? Quòd si hoc sentiri non potest de Apostolo, quomodo videbitur secundum eos iustè culpare eum, qui Corinthi fuerat scortatus, vel eos qui deliquerant, & pœnitentiam non egerant, in impudicitia, & scortatione, & immunditia, quam gesserant? Quomodo etiam collaudat eos, qui rectè egerunt, sicut Onesiphori domum, dicens, Det Dominus misericordiam Onesiphori domui, quia frequenter me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, sed cùm Romam venisset, solicitè me quæsiuit, & inuenit, Det illi Dominus inuenire misericordiam apud Dominum in illo die. Nónne est Apostolicæ consuetudinis culpare eum, qui culpa dignus est, id est qui peccauit, & collaudare eum, qui laude dignus est, id est, qui benè fecit? Rursum, dicendo creatoris esse opus, vt vas aliud sit in honorem, aliud in contumeliam, sublato veluti libero arbitrio, quo pacto illud Apostoli, Nos omnes assistere oportet ante tribunal Christi, vt ferat vnusquisque nostrum in corpore suo, prout gessit, siue bonum, siue malum, constabit? Quæ enim boni retributio ei, qui malum facere non potuit, ad hoc ipsum à creatore formatus? vel quæ pœna dignè irrogabitur ei, qui bonum facere, ex ipsa conditoris sui creatione non potuit? Tunc deindé quomodo non contrarium est huic assertioni illud quod dicit, In domo autem magna non sunt tantummodò vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam? Si ergo qui emundauerit semetipsum ab his, erit vas in honorem sancti-
E ficatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. Si ergo, qui se emeundauerit, efficitur vas ad honorem: qui autem immunditias purgare contempserit, efficitur vas ad contumeliam: nulla tenus istorum causa est conditor, quantum ex his verbis licet colligere. Nam facit quidem creator Deus quoddam vas ad honorem, & facit alia vasa ad contumeliam, non à principio vel origine, secundum præscientiam. Neque enim ex ea antè iudicat, aut antè iustificat: sed illud vas, quod se purgauit, ab omni immunditia, illud facit vas ad honorem: quod verò vitiorum sordibus se maculauerit, illud vas ad contumeliam facit. Itaque non ex antiquioribus causis, quàm constitutio vasorum ad honorem & ad contumeliam, efficitur alius ad honorem, alius ad contumeliam. Quòd si semel admittimus esse aliquas causas antiquiores vase honoris, & vase ignominiæ, quid absurdum est ascendentes in locum de anima dicere, quia antiquiores causæ extiterunt, cur Iacob diligeretur, & Esau odio haberetur: in Iacob, antequàm corporaretur, & in Esau, antequā in in Rebeccæ vtero exoriretur? Sed & illud quod dictum est, Quòd ex eadem massa, & honoris & contumeliæ vas fiat, non nos poterit coarctare, vnam etenim naturam omnium esse dicimus rationabilium animarum, sicut vna luti massa subiacere figulo designatur. Cùm er-
F go vna omnium sit natura rationabilium creaturarum, antiquior quędam causa effecit, vt hi quidem sint in honorē, illi autem in contumeliam. Quòd si conturbat Apostoli oratio, quæ dicit, O homo, tu quis es, qui contrà respondeas Deo, puto ostendere, quoniam ad fidelem quem que rectè & iustè viuentem, & habentem fiduciam apud Deum, talis increpatio non refertur. Talis erat Moses ille. Moses enim loquebatur. Deus autem respondebat ei cum voce: & sicut respondebat Mosi, ita respondet & Sanctus quisque Deo. Qui verò talem non habet fiduciam, videlicet qui eam perdidit, vel de iis non quærit, vt discat & proficiat, sed vt contendat & resistat, & (vt manifestiùs dicam) qui talis est, vt dicat, Quid ergo adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis resistet? ad hunc rectè increpatio ista dirigitur, quam dicit Apostolus, O homo, tu quis es, qui contrà respondeas Deo? His verò, qui diuersas animarum introducunt naturas, & sermonem hunc Apostolicum ad assertionem sui dogmatis trahunt, hoc modo respondendum est: Si ratum habent ex vna massa fieri & eos qui pereunt, & eos qui saluantur, atque

1. Cor. 5. *2. Tim. 1.* *2. Cor. 5.* *2. Tim. 2.* *Rom. 7.*

G creatorem, tam eorum qui saluantur, quàm eorum qui pereunt, esse creatorem: Item esse bonum, qui facit non solùm spiritales, verùm etiam terrenos (id enim ex ipsorum dictis sequitur) possibile sanè erit, vt vas honoris factum sit è prioribus quibusdam bonis operibus in hoc mundo, & vas contumeliæ in alio seculo pro meritis, quoniam non similia fecerit, neque vasi gloriæ consentanea? Vt rursum quòd vas ad contumeliam propter ea quæ antecesserunt hanc vitam, hîc factum est, si se emendauerit illo nouo seculo, poterit effici vas ad honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne bonum opus paratum. Denique qui in hoc seculo, vt Israëlitæ essent, à Deo formati sunt, & indignam vitam generis sui nobilitate gesserunt, atque ab omni familiæ suæ generositate deciderunt, isti quodam modo è vasis honoris in vasa contumeliæ conuertentur. Et multi rursum, qui nunc Aegyptij sunt & Idumæi, Israëlitarum fide ac conuersatione suscepta, cùm fructus Israëlitarum fecerint, in Ecclesiam Domini ingredientur, nec Aegyptij ampliùs aut Idumæi reputabuntur, sed Israëlitæ existent: Itaque secundum propositum suum alij è deterioribus in meliora conuertentur, alij è melioribus in deteriora decident: Nonnulli manebunt in bonis, aut è bonis ad meliora proficient, & semper ad superiora conscendent: alij manebunt in malis, vel si vltra in eis malitia diffuderit, deteriores fient. Verùm quoniam sermo Apostoli in his quidem, quæ de vasis honoris vel contumeliæ dicit, Quia si quis seipsum mundauerit, erit vas ad honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum semper paratum: nihil videtur ad Deum, sed totum ad nos retulisse: in his verò, in quibus ait, Potestatem habet figulus luti de eadem massa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam, totum videtur ad Deum reduxisse, non est accipiendum sibi esse contraria, sed vtroque sensus ad vnum vocandus, & è duobus vnus effici debet intellectus, vt neque quæ in nostro arbitrio sunt, putemus sine adiutorio Dei posse effici, neque ea quæ in manu Dei sunt, putemus absque nostris artibus & studiis, & proposito consummari. Neque enim Deus solus quædam ad honorem aut ignominiam facit, nisi tanquam materiam quandam differentiæ habeat nostras voluntates vel ad meliora vel ad deteriora declinantes. Sed ista sufficiant, prout potuimus, de liberi arbitrij quæstione agitata.

Colligit παλιγγενεσίαν tanquam aliquid absurdū.

2. Tim. 2. H

Rom. 4.

Locus in Græco corruptus.

QVAE SVPER TERRAM RAtionalium, id est, humanarum animarum dispersio tacitè declarata ex Turris ædificatione, & ad ipsam facta linguarum confusione. Vbi & de multis dominis siue præsidibus, qui dispersis pro analogia constitutionis præfecti sunt.

I CAP. XXII.

E quinto tomo contra Celsum.

NVnc videamus, quid deinceps loquatur Celsus. Igitur Iudæi propria gente constituta, latisque gentilibus legibus, quas etiam nunc circumferunt, simul cum religione qualicunque, sed tamen patria, faciunt more aliorum hominum, quorum suæ quisque patriæ instituta sequitur, qualiacumque fuerint. Id quod videtur etiam vtile, non solùm quia leges aliis aliæ venerunt in mentem, & seruandum est, quicquid semel publicè placuit, verumetiam quia, vt est credibile, partes terræ ab initio distributæ sunt aliæ aliis præsidibus, velut prouinciæ. Itaque in singulis rectè fit, quod receptum est moribus, nec violare per singulas regiones instituta iam indè ab initio fas sanctumque est. Hîc Celsus ostendit Iudæos olim fuisse Aegyptios, deinde propriam gentem constituisse, legésque à se constitutas ex illo retinere tempore, & ne eadem ipsius verba repetamus, vtile hoc eis, vt suis ritibus vtantur, sicut cæteræ gentes suis quæque vtuntur. K Ac mox profundiorem quandam causam exponit, cur Iudæis patria instituta seruare expediat, innuens quosdam esse terrarum præsides, & quasi inspectores, qui earum legislatores ad ferendas leges adiuuent. Itaque videtur significare Iudæorum quoque regionem & gentem regi & inspici ab vno quopiā præside, vel pluribus, cuius vel quorum auxilio Moses suas leges ad populum tulerit. Et oportet (inquit) leges seruare, non solùm, quia placuit aliis eas ferre aliter: & seruandum est, quicquid semel publicè placuit: verumetiam quia credibile est partes terræ mox ab initio distributas alias aliis præsidibus, & velut prouinciatim gubernari ab eis. Deinde quasi oblitus Celsus eorum, quæ contra Iudæos dixit, nunc in vniuersa patrias leges seruantium laude ipsos quoque complectitur, dicens, Itaque in singulis rectè fit, quod semel receptum est moribus. Et videnum, quantum in ipso est, Iudæum in suis legibus viuentem velit ab eis non discedere, quasi non sanctè facturus sit, si discesserit? Dicit enim, non esse sanctum dissoluere, quæ à principio per singulas regiones constituta sunt. Quapropter libenter ipsum & cum ipso sentientes rogarem, quisnam sit ille, qui ab initio partes terræ suis præsidibus distribuit, vt inter cæteros Iudæorum quoque prouincia sorte vni cuipiam pluribusue obuenerit. L Num enim, vt Celsus diceret, Iuppiter vni pluribusve aliquibus attribuit Iudæorum gentem & regionem, voluitque vt qui Iudæorum prouinciam sortitus esset, tales Iudæis leges dictaret: an fortè præter Iouis voluntatem id factum est? Vtrumuis respondeat, vides in quas angustias se eius oratio coniiciat. Quòd si à nemine vno distributæ sunt regiones terræ suis præsidibus, ergo temerè, vt nullo diuidente, suam quisque arripuit: quod & ipsum absurdum sit credere, nimirùm tollens omnem è rebus prouidentiam. Quomodo autem, & in quas prouincias distributa terra administretur à præsidibus, narret nobis qui vult, & ostendat quàm rectè fiant in singulis, quæ fiunt præsidum arbitratu: tum quàm rectè se habeant Scytharum leges de occidendis patribus, quod exempli gratia dictum sit, vel Persarum, non prohibentes matrum cum filiis, aut patrum cum filiabus connubia. Sed quid me opus est varias Gentium leges ex scriptoribus colligere, & dubitare per singulas, quàm rectè fiant quæ à præsidibus sanciuntur? Dicat autem nobis Celsus, quomodo non sit sanctum violare leges patrias de ducendis filiabus & matribus, aut de beato, vt putant sine per suspendium, aut per rogum, in quem si quis viuum se mittat, aiunt purgari animam, & vnà cum corpore absumi peccata omnia. M

Præsides regionum

Quomodo etiam non sit pium & sanctum soluere leges Taurorum, exempli causa, hospites pro victimis Dianæ mactantium, aut Afrorum filios immolantium. Eadē Celsi ratiocinatione sequitur, impiè Iudæos facere, si præuaricentur leges patrias, de non colendo alio Deo, præter huius mundi opificem, eritque iuxta ipsius opinionem fas & pium, non naturale, sed arbitrarium. Est enim pium apud alios venerari Crocodilum, & vesci animalibus apud alios consecratis, apud alios vitulum, & rursum apud alios hircum pro Deo colere. Atque ita fiet, vt vnus & idem pius sit aliorum legibus, aliorum contrà impius: quod est longè absurdissimum. Respondebunt fortassè pietatem in hoc sitam, si fiat iuxta leges patrias, quòd externæ obligent neminem, nec statim esse impiū, qui ab aliis impius habeatur, modò ne discedat à ritu patrio, liceréque huic aduersari legibus aliorum, & eorum sacra deuotare: Id quod videndum, ne magnam confusionem in ius & fas inuehat, si nullam hæc propriam naturā habeant, ad cuius formulam examinetur in fa-

A in factis pietas. Itaque si pietas, sanctitas, iustitia ad aliquid referuntur, vt idem sit pium & impium pro diuersis habitudinibus & legibus, vide ne consequens sit, vt temperantia quoque inter illa censeatur, quæ dicuntur ad aliquid, & fortitudo & prudentia, & scientia, & reliquæ virtutes, quo nihil cogitari possit absurdius. Hæc autem ratio videtur Celso concludere, vt omnes homines secundum leges patrias viuant, nec ob id reprehendantur: contrà, vt Christiani, dum patria instituta deserunt, nec vnam aliquam gentem velut Iudæi constituunt, sint in culpa, Iesu doctrinam amplectentes. Dicat igitur nobis, vtrum conuenienter qui philosophantur, & docent non esse superstitionibus vacandum, patria instituta deserunt, vt apud se vetitis vescantur, an præter officium istud faciunt. Nam si propter Philosophiæ præcepta, patrias leges iuxta superstitionis disciplinam non seruant, & paternis institutis vetita comedunt, quidni etiam Christiani, cùm diuinum verbum nolit ipsos venerari statuas & simulachta, & Dei opera, sed transcendere, animúmque ad opificem dirigere, tale aliquid facientes ac Philosophi superiores, inculpatè istud facient? Quòd si Celsus, & qui cum eo sentiunt, vt sibi propositam hypothesim retineant, respondeant, etiam Philosophicis institutis deditum patrias leges seruaturum: considera, ôbsecro, Philosophos apud Aegyptos fuisse maximè ridiculos, quòd esu cæpæ abstinerent, vt patriis legibus obtemperarent, aut infinitarum aliarum corporis partium, verbi gratia, capitis & scapulæ, ne præcepta à patribus accepta transgrederentur. Sic igitur qui verbo Dei adducitur ad Deum vniuersorum colendum, at propter patria instituta deorsum desidet apud statuas & humana simulachra, nec vult animi mente & studio ab summum opificem ascendere, similis erit iis qui Philosophiam discunt, & metuentes ne in pericula grauia incidant, talibus vesci impium existimant. Atque hæc quidem satis erat ad Celsi verba respondisse simplicius, & minerua communiore. Sed quoniam putamus aliquos hæc nostra lecturos exquisitius, age pauca proferamus arcanæ cuiusdam contemplationis de aliis alibi iam inde ab initio præsidibus, & quasi inspectoribus, & commemoratis absurditatibus, vt eam opinionem, quoad fieri poterit, repurgemus. Mihi videtur Celsus non rectè intellexisse hanc de diuisione terrarum doctrinam secretiorem, quam nonnihil attingit etiam Græcorum historia, inducens quosdam ex iis, qui dij creduntur, inter se certasse de Attica, tum apud Poëtas faciens, quosdam ex Deorum genere vsurpare sibi certa loca, vt præ cæteris familiaria. Barbarica quoque, præsertim Aegytiorum, hystoria habet quiddam simile de diuisione Aegypti in præfecturas, quas vocant Nomos, inter quos Sain obuenisse Mineruæ, quæ & Atticam possider. Cæterùm Aegyptiorum sapientes infinita talia dicent, fortasse etiam Iudæos secum accipientes ac dicentes eorum regionem ad eundem modum esse diuisam. Et de iis quidem nunc satis, quatenus extra diuinas literas tractantur. Diuinus autem Moses, quem Prophetam & germanum Dei famulum credimus, in Deuteronomij cantico mentionem facit diuisæ terræ, sic loquens: Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei: & facta est pars Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis ipsius Israël. Quin & in libro, qui Genesis inscribitur, idem Moses de hac gentium distributione historicè sic prodit: Erat terra labij vnius, & vox eadem omnibus. Cumque proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt ibi. Et paulò post, descendit Dominus, vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij hominum. Et dixit Dominus, Ecce vnus est populus, & vnum est labium omnium, & istud cœperunt facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. Atque inde diuisit eos Dominus ex illo loco super faciem cunctarum regionum. Sed & in Salomonis, vt inscribitur, Sapientia, vbi diuisionis terrarum tempore confusionis linguarum factæ meminit, de Sapientia sic legitur: Hæc in consensu prauitatis, cum se nationes confudissent, sciuit iustum, & conseruauit sine reprehensione Deo, & in filiis misericordiam fortem custodiuit. Quibus de rebus prolixa, sed arcana est disputatio, in quam competit illud, Mysterium regis celare bonum est, ne in quaslibet aures sermo de animabus non migrantibus in corporibus proiiciatur, néue sancta dentur canibus néve margaritæ iaceantur ante porcos. Impium enim esset vulgò prodere hæc arcana Dei sapientiæ, de qua pulchrè scriptum est, In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sed satis est, quæ sub historia celantur, historicè proponere, vt qui possunt, sibi ipsis quærant loci huius intellectum. Intelligantur igitur omnes super terram diuina quadam lingua vna vtentes, & quotquot inter se consentiunt, conseruent se in hac diuina lingua, nec se demoueant ab Oriente, tantisper dum sapiunt ea, quæ sunt luminis, eiusque sempiterni fulgoris. Hi vbi se demouerunt ab Oriente, sapientes quæ Orienti non conueniunt, inuenient campum in terra Sennaar, quod interpretatur Dentium excussio, & quo significatur alimentum eis periisse, ibíque habitabunt. Deinde materialia quæque in vnum contrahere, & cœlo coniũgere volentes, quæ non ad hoc natura sunt, vt per materialia contẽdant ad immaterialia, dicent, Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Iamque consolidantes luteam materiam, fingent pro lapidibus lateres, eósque luto ferruminãtes probi tumine, ædificabunt ciuitatem & turrim, cuius fastigium ipsorum opinione ad cœlum pertingat. Et quãto quisque magis vel minus ab Oriente discessit, quanto magis minusve operæ consumpsit in fingendis ferruminandísque lateribus, struendóque ædificio, tãto magis minusve molestis tradetur Angelis, audaciæ pœnas exacturis ab eo, abrepturísque ædificatorum quemque in aliquam linguam & regionem terræ se dignã, aliis verbi gratia terrã æstuosam, aliis nimio frigore graue habitatoribus, alij cultura difficilem, rursum faciliorem aliis, item aliis bestiarũ plenam, aliis minus isto bestiarum genere occupatam. Hęc si quis potest, vt historiam partim res gestas narrantẽ partim secretius aliquid velantem, considerare, videat eos, qui pristinam linguam seruarunt, eò quòd ab Oriente non discesserant, manentésque in Oriente Orientalem linguam retinuerant, solos factos portionem Domini, populumque eius vocatum Iacob nomine, & Israël funiculum hæreditatis ipsius: híque soli præsidem habebunt, non in pœnam sicut alij. Cõsideret igitur qui potest pro humana facultate, etiam in eorũ ciuitate, qui vt eximia pars Domino sunt attributi, peccata admitti, primùm ferenda, & talia vt non mererentur omninò derelinqui propterea: Deinde plura, tolerabilia tamen, ídque longo tempore, numquam non adhibitis remediis, ita vt per interualla resipiscerẽt, tũ quoties destituerentur pro peccati magnitudine, non secus quàm alias regiones sortiti, primùm leuiùs punitos, vt quasi puerili castigatione admoniti, reuerterentur ad propria: deinde verò traditos sæuioribus Dominis, vt scriptura nominat, Assyriis, deinde Babyloniis. Deinde adhibitis curationibus videat, quomodo postremò malitia crescente, per prædones Principes abrepti, & in longinquas regiones dispersi sint in alienorum præsidum partes. Cæterùm præses eorum data opera conniuebat, dum illi diriperentur à cæterarum gentium præsidibus, vt & ipse optimo iure tanquam illatas sibi iniurias vlciscens, nactus potestatem, vicissim inuasis aliorum gentibus, quotquot posset, inde adduceret, eisque sub suas leges subactis, rationem viuendi præscriberet: atque ita ad eum finem adduceret, ad quem adducturus erat, ni peccata obstitissent, suæ gentis olim sibi attributæ homines, & per hoc erudiret eos qui possunt hæc animaduertere: Nimirum longè potentiorem cæteris esse hunc, qui à peccato immunes etiam tum sortitus est,

B C D E F

In latinis contra Celsum exemplaribus desideratur integra pagina.

Deut.32. *Genes.11* *Sap.10.* *Tob.2.* *Matth.7.* *Sap.1.* *Genes.11.* *Populi Israel electio.* *Deut.32.*

G quandoquidem valeat ex omnibus portionibus selectos assumere, retractos ab illis, qui eos puniendos acceperant, & adducere ad leges vitæ vtiles, obliuioni traditis peccatis pristinis. Verùm hæc, vti prædiximus, rectè nobis dicta sint, quo appareret Celsum & similes non rectè intellexisse terræ partitionem, & ceu prouincias assignatas suis præsidibus. Quoniam autem isti ab Oriente profecti, propter peccata sua traditi sunt in sensum reprobum & passiones ignominiosas, & in impuritates iuxta suas concupiscentias, vt saturati peccatum fastidirent, dissentiemus hîc à Celso credente propter distributos terræ partibus præsides in singulis regionibus rectè res administrari, nec probabimus singulorum placita. Videmus enim fas esse, priscas regionum leges mutare melioribus & diuinioribus, quas pro potestate Iesus suis tulit, eripiens eos ab hoc præsenti seculo malo, & Principibus huius seculi iam destructis: & impium esse non subiicere se potentissimo Principi, exaltato super omnes cæteros, quem Deus ipse sic allocutus est, vt habetur in veterum Prophetarum oraculis, Postula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & in possessionem tuam terminos terræ. Ipse enim factus est expectatio nostra, qui è gentibus in eum credidimus & in Patrem ipsius, qui est super omnia Deus benedictus in secula.

Psal. 2.

H

DE FATO, ET QVO PACTO, cùm Deus præsciat quæcúnque à singulis aguntur, arbitrij libertas constet. Item quo pacto, stellæ non sint efficientes causæ humanarum actionum, sed duntaxat signa. Item homines de iis perfectam notitiam habere non posse, sed virtutibus siue potestatibus diuinis hæc signa patêre, & quæ istorum sit causa. Vbi etiam Clementis Romani Episcopi ex oratione ad Patrem, quædam necessaria speculatio, cuius verbis vera asseri videtur Astrologia.

CAP. XXIII.

E tomo tertio in Genesim.

Vide Euseb. lib. 6. De præpar. cap. 9. alioqui hi tomi in Genesim interciderunt.

SINT in signa, & in tempora, & in dies, & in annos. Quòd in signa facta sint luminaria, Sol scilicet & Luna, & reliquę stellę, disputare maximè est necessarium. Nō enim solùm Gentilium plurimi, à fide Christi alieni in locum de fato, dum existimant aspectu atque coniunctione planetarū cum signis Zodiaci, omnia necessario accidere, quæ in terris fiunt, atque adeò circa homines singulos, fortassè etiam bruta animantes. Verumetiam multi ex iis, qui fideles existimantur, hæsitant, ne fortè hominum actiones necessariò contingant, & impossibile sit aliter accidere, quàm stellarum cursus & figurarum diuersitas effecerit. Vnde sequitur, vt qui ista decernunt, penitus libertatem arbitrij tollant, & quadam consequentia laudem & vituperium, & actiones vel laude vel vituperatione dignas. Quibus sic constitutis, Dei iudicium prædicatum perit, & comminationes, quibus peccatores ad æterna supplicia destinantur, & præmia atque beatitudines, quæ meliora amplectentibus sunt promissæ: Nihil enim istorum iam probabile est eueturum. Quin etsi qui ista decernit, apud se ad istorum consectaria attendat, ipsa quoque fides erit vana, & Saluatoris aduentus inutilis, & omnis Prophetarum & legis œconomia, & Apostolorum labores in constituendis Dei per Christum Ecclesiis, nisi fortè Christum quoque quis audeat dicere cœlestium corporum vi coactum fecisse quæ fecit, passumque fuisse quæ passus est, nec Dei & Patris, qui ipsi vniersorum admirabilem potestatem dedit, sed stellarum virtute & munere.

Genes. 1.

I

Quibus impiis verbis conficitur etiam, vt fideles stellarum fato acti, in Deum credere dicantur. Sed interrogemus ipsos, cur Deus volens istiusmodi mundum produxerit? An vt in eo masculi absque vlla sua culpa muliebria paterentur, alij agrestium animalium conditionem induentes, quod vniuersi conuersio tales ipsos effecerit quoniam sic Deus vuiuersitatem ornauit, seipsos sæuissimis & valde inhumanis actionibus, & cædibus & direptionibus dederent? Quid attinet nos dicere de hominum euentis, & peccatis innumerabilibus, quos egregiæ istius sententiæ auctores omnes omni culpa absoluunt, & Deo rerum omnium improbè & turpiter actarum causas attribuunt? Si aliqui, veluti Deo patrocinaturi, alterum dicunt esse bonum, nullius istorum habentem principium, opifici autem istæc vniuersa applicant, certè primùm quod volunt, non poterunt ostendere, quôd sit iustus. Quomodo enim is, qui tot tantáque mala produxit, iustus esse dicetur? Deinde quid de seipsis respondebunt, interrogādi erunt, vtrum stellarum motui subiecti sint, an soli eorum necessitatem effugerint: & cùm sint in vita, nihi in se ipsos inde effectum habuerint? Si primum, manifestum est, quia à stellis etiam hanc opinionem sunt consecuti, & opifex per vniuersi motum rationem de Deo supremo confictam subiiciet: quod certè nolunt. Quod si responderint se esse extra opificis leges de astris positas, ne quod dicunt affirment, sine demonstratione, tentent nos rationibus magis necessariis euincere, differentiam assignantes inter mentem, quæ natiuitati & fato subiecta est, & eam quæ à fato est libera. Perspicuum enim iis, qui istos norunt, quòd rogati rationem reddere nullo pacto poterunt. Adhæc si fato res humanæ aguntur, cur orant? cur vouent? cur apertè aliquid à Deo petunt? Nam si necesse est ista euenire, Deum frustrà interpellamus, vt hæc nobis præstet. Quid plura? Abundè enim ex his patet impiè & temerè susceptam à multis opinionem de fato. Quare autem, cùm illud consideremus, Sínt-ne in signa luminaria, in hunc sermonem incidimus, nunc commemoremus. Qui veram aliquotum scientiam discunt, aut oculati rerum spectatores, passionem & actionem patientium & agentium conspicati, certa quædam rectè pronuntiant, aut ab iis qui nullo modo rerum actarum causæ & auctores extiterunt, sed auditi didicerunt, eorum notitiam accipiunt. Prætereamus autem, quod experti & passi, dum exponunt quid egerint, quídve sint passi, possunt ad notitiam rerum factarum absentes adducere, Certè si ab alio quis audit factum esse, aut faciendum aliquid, cuius tamen ille nec fuit, nec erit causa, si hic idcircò, quoniam ab illo didicerit, causam ipsius fuisse illum, vel futurum esse arbitratur, non parum valdè perspicuè errat. Velut si quis Prophetæ librum euoluat, in quo de proditione Iudæ scribitur, & cum iam rem patratam videat, quoniam à libro futurum id didicit, librum causam factæ proditionis putet, aut si non librum, ipsum libri auctorem, aut certè Deum qui inspirauit. Quemadmodum autem Prophetiæ de Iuda dictiones examinatæ, non fuisse Deum causam proditionis ostendunt, sed solum præsignificasse, quæ ex malignitate ipsius futura præuiderat: sic si quis altius voluerit præscientiæ Dei vniuersaliter rationes scrutari, nec eum qui præsciuit, nec eas res, quibus præscita impressa sunt, rerum antè cognitarum causam esse profectò intelligat. Deum igitur omnia futura præscire, quanquam etiam per communem de Deo intelligentiam sit clarissimum, tamen & ex scriptura istud doceamus. Nam scripturæ talium exemplorum sunt plenæ. Susannam ergo audiamus dicentem: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequàm fiant, tu scis ipsos falsum testimonium tulisse aduersum me. Dilucidè autem in tertio Regnorum non solum res gestæ, sed ipsum quoque nomen Regis ante complures annos propheticè sic conscribuntur: Et constituit Ieroboam Diem solennem in mense octauo, quintodecimo die mensis, in similitudinem solennitatis quæ celebrabatur in terra Iuda. Et ascendit

K L M

A in altare, quod erat in Bethel, vt immolaret vitulis quos fabricatus fuerat. Et post pauca, Et ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel, Hieroboam stante super altare, & thus adolente, & clamauit contra altare sermone Domini, & dixit, Altare, altare, hæc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit in te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum succendet super te. Deditque in illa die signum, dicens, Hoc erit signum quod locutus est Dominus. Ecce altare scindetur, & effundetur pinguedo, quæ super eo est. Deinde significatur repentè altare scissum, & effusam pinguedinem fuisse secundum signũ, quod homo Dei dederat verbo Domini. Apud Esaiam autem, qui multò antè captiuitatis Babylonicæ tempora
Esa.44. extiterat, nominatim de Cyro mentio fit, qui captiuitati finem attulit, postquàm certè Cyrus Persarum Rex procurauit tẽpli ædificationem Ezdræ temporibus factam: Hæc dicit Dominus Deus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & vires regum fundam: aperiam ante eum ianuas, & vrbes non claudentur, Ego anteibo, & montes humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos, vt scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israël, propter seruum meum Iacob
B & Israël electum meum. Ego vocabo te nomine meo, & suscipiam te. Quibus dilucidè significatur, propter beneficia, quæ populo Cyrus contulit, multarum ipsi gentium regna diuinitus fuisse concessa, nescienti alioqui diuinam Hebræorum religionem. Et hæc quidem licet discere à Græcis, res Cyri prophetati describentibus, Apud Danielẽ quoque, rerum potientibus Babyloniis, Nabugdonozori
Dan.2. per imaginem futura regna ostensa sunt. Aurum namque Babyloniorum, argentum Persarum, æs Macedonum, ferrum Romanorum imperium portendebat. In eodem propheta de Dario & Alexandro, & de quatuor Alexãdri successoribus, de Ptolomęo quoque Rege Aegypti, qui co-
Cap.8. gnominatus est Lagus, his verbis scribitur: Ecce autẽ Hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & habebat cornu inter oculos suos, & venit vsque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem coram Vbal, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ. Cúmque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, & percussit arietem, & contriuit duo cornua illius, nec poterat aries resistere ei. Cúmque misisset eum in terram, conculcauit eum, & nemo poterat liberare arietẽ de manu eius. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cúmque creuisset, factum est cornu eius, & orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cœli, De vno autem ex his egressum est cornu vnum, & fa-
C ctum est magnum versus Meridiem & Occidentem. Quid Prophetias de Christo opus est dicere, locum vbi natus est Bethlehem, vbi educatus est Nazareth, recessum etiam in Aegyptum, miracula etiam quæ fecit, & quomodo Iudas eum tradidit, postquam esset ad Apostolatũ vocatus. Hæc enim omnia argumento sunt, Deum ab æterno cũcta
Matt.25. præscire. Ipse quoque Saluator euersionem futuram Hierosolymorum prædixit, Cùm videritis (inquit) circundatã ab exercitibus Hierusalem, tunc scitote, quoniam appropinquauit desolatio eius. Quorsum hęc? Vt faciliùs explicare possimus, quomodo stellę in signa factæ sunt. Sic igitur sitas in cœlo stellas obseruandum est, vt & contrario motu stellæ inerrantes atque erraticę agitentur, vt modò per varios earum aspectus atque coniunctiones tam vniuersa quàm singula, non quidem homines (excedit enim omninò exquisitissima motus stellarum ratio, mentem hominum) sed virtutes, quibus, vt postea ostendemus, hæc scire necesse est, percipiant. Dum autem homines aut quibusdam obseruationibus, aut aliquorum spirituum doctrina, qui ordinem suum transgressi, multa hominibus suggesserunt, nonnulla stellarum motu confusiùs præuiderint, putarunt ea, à quibus capiuntur, caussas esse earum rerũ, quas non efficere, sed significare Dei affirmat verbum. De quibus omnibus breuiter & exquisitè secundum nostras vires
disseremus. Proponantur igitur hæc ordine cõsideranda, D
Quo pacto, cùm à seculo futura omnia Deus præsciat, li- 1.
berum seruetur arbitrium. Et quomodo stellæ non sint 2.
humanarum rerum effectrices, sed solummodò signa. Et 3.
quòd homines exactam de his cognitionem habere nequeant, sed virtutibus, quæ superiores homine sunt, hæc
signa diuinitùs depicta sunt. Postremò, quænam causa 4.
fuerit, vt Deus signa futurorum ad cognitionem virtutum expresserit. Primum igitur dispiciamus, quòd Gentilium sapientes in magnos intrusit errores. Cùm enim pręscire Deum vniuersa minimè negarent, necessariò nos agere, quicquid agimus, nullóque modo seruari liberum arbitriũ crediderunt, atque impium dogma ausi sunt potius suscipere, quàm valere sinere, vt quidem prætexunt Dei gloriã, sublata libertate arbitrij, & consequenter laudis & vituperationis, virtutum & vitiorum materia. Nam si ab æterno (inquiunt) iniustum aliquem futurum Deus pręuidit, nec scientia diuina falli potest, erit omninò ille iniustus, nec possibile est eum iniustum non fore, cùm non possit aliter agere, quàm Deus præsciat. Sicque nullus vituperationi & laudi erit locus, ac frustrà iniustos culpabimus. Similitérque de cæteris delictis & de virtutibus opinantur: vnde E
sequi aiunt liberam non esse hominis voluntatem, si Deus futura præsciat. Aduersus quos dicendum, quod omnia Deus à principio orbis creati videat, antecedentia, consequentia, causas rerum & effectus, cum nihil sine causa fiat, nec tamen omnium ipse est causa. Nam quemadmodum si quis temeritatem hominis alicuius perspexerit, & quia ignorantem eum cognouerit, propter temeritatem eius nõ dubitet periculosa eum & lubrica aggressurum itinera, in quibus lapsus miserè iacebit, non causa & auctor fuit cur ille labeгetur: sic Deus, cum vniuscuiusque voluntatem pręuideat, an rectè ille sit acturus, non ignorat. Nec tamen certè pręcognitio eius futurorum causa est. Nec enim vllo pacto ad peccãdum Deus quemquam impellit aut mouet, sed è contrà (dicam enim, etiamsi à communi opinione aliquanto alienius multis videatur) id quod futurum, causa est, vt Deus euenturum illud præuideat. Non enim ideò fit, quia præscitur, sed quia futurum erat, pręscitur. Distinctione autem hęc res indiget. Nam si quis, quando futurũ aliquid dicimus, sic accipit, quasi necesse sit omninò fore, minimè ei id dabimus. Non enim dicimus, quia proditor Iudas præsciebatur, necesse fuisse ipsum prodere. Nõ enim vituperaretur, si necessariò fuisset proditor, nec cęteris Apostolis similis fieri potuisset. Audi quid Propheta de ipso dicit: Ne sit qui misereatur pupillis eius, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare, & dilexit maledictionem, & veniet ei: & no- F
luit benedictionem, & elongabitur ab eo. Si quis autem ita, quod omninò futurum dicitur, accipit, quasi euenturũ sit, possit autem etiam aliter fieri, hoc ipsum est quod dicimus. Deum enim impossibile est mentiri. De contingentibus autem, quæ fieri & non fieri possunt, ea vel ventura vel non ventura licet sentire. Sed liquidius hęc sic dicemus. Si contingat Iudam esse Apostolum æque ac Petrus continget etiam Deum de Iuda scire, quòd æquè ac Petrus sit Apostolus. Item si continget Iudam prodere, præsciuit hoc Deus: si non continget, similiter Deus præsciuit. Cum ergo duo hęc contingentia sint, & potestas in Iuda sit, Deus præscientia sua præuidit, quòd à Iuda eligetur, nec pręsciẽtia Dei ex contingenti, necessaria fier proditio. Etsi enim Dei notitia dixerit posse Iudam esse proditorem, at cõtrarium etiam possibile est. Non enim similiter istud accipiẽdum est, quemadmodum si diceres pręuidere Deum hunc hominem numquam volaturum: nulla enim volandi potestas inest homini, sed temperatè & intemperatè viuendi potestas inest. Cum ergo vtrumque possibile sit, qui rationi non obtemperat, is peiora sequitur: qui verò ratione cuncta idcircò inquirit, vt rationi pateat, is virtuti adhęret. Ille voluptate delinitus, nihil de honestate curat: hic communi conceptione persuasus, rationem anteponit. Sic alter voluptati resistere non potest, qui laborem suf-

G ferre nolit: alter spernit atque repellit voluptatem omnẽ, quia dedecus eius formidat. Quòd igitur præscientia Dei nullam necessitatem nobis imponit, inde quoque affirmari potest, quia sæpius in scriptura, pœnitentiam per Prophetas mandasse inuenitur, non dissimulans cognouisse, vtrum audientes conuertentur, an non: quemadmodum apud Hieremiam scribitur, fortassè audient, & pœnitentiã agent. Non enim ignorans Deus, vtrum essent pœnitentiã acturi, nécne, dixit, fortassè audient, & pœnitentiam agent, sed velut æqualitatem potestatum ostendens: ne præscientia sua palàm facta audientes deiiciat, quasi necessariò aliquid eorum futurum sit, nec in delinquentibus, conuerti vel non conuerti potestas insit, & hæc res peccandi causa foret. Et contrà si conuersionem eorum omninò futuram prædixisset, huiuscemodi prędictio dissolutionis causa fuisset, faceréntque ne viriliter in voluptatem insurgerent, quasi emendatio, velint nolint, futura sit. Sic enim prædictio impedimento futuri boni esse videtur. Cùm igitur Deus perutiliter mundum gubernet, meritò circa futura nos Deus cæcauit. Nam præscientia ipsorum remissos nos efficeret, ne fortiter contra prauitatem pugnaremus, & nos præoccupãs, ne cum peccato luctaremur, celeriùs ipsi subiiceret: Etiam eum, qui fieri probus bonúsque contenderet & niteretur, postquàm præscientia ad ipsum, quòd om-
H ninò futurus sit bonus, quocunq; nos vertamus, peruenisset: Nam maiore studio & vehementia opus est, vt boni probíque efficiamur. Antegressa autem notitia, quòd boni probíque omninò futuri simus, dissoluit studium & diligentiam. Nescimus igitur vtiliter, bonine an mali simus futuri. Quoniam autem Deum nos circa res futuras excæcasse diximus, vide an istud ex Exodo declarare valeamus. *Exod. 7.* Quis fecit (inquit) surdastrum & surdum, videntem & cæcum? An non ego Dominus Deus? Eundem enim cæcum atque videntem fecit, videntem ad pręsentia, cæcũ ad futura. De surdastro enim & surdo dicere, alienum est à proposito. Non ambigimus sanè multa, quę in nostra potestate sunt, causam esse plerunque eorum, quæ in nostra potestate non sunt. Nam si ea quæ non sunt in nostra potestate, non efficiantur, quædam in nobis posita minimè fient. Facimus autem aliqua plerumque libenter, aut non facimus, quia nonnulla, quæ voluntatis humanæ non sunt præcesserunt. Si verò quispiam absolutam esse nostrã voluntatem ab vniuerso petit, vt non propter ea, quæ nobis contingunt, voluntas nostra hoc aut illud amplectatur, is mundi particulam se esse, continerique ab vniuerso & hominum societate oblitus est. Breuiter igitur, velut in epitome, præscientiam Dei nullam necessitatem rebus antè cognitis omninò afferre demonstratum est.

I

Præterea de eodem, è tomo secundo contra Celsum.

IN his Celsus existimat, propterea fieri id, quod quadam præscientia prædictum est, quoniam est prædictum. Id nos minimè concedentes, asserimus, non vaticinantem causam esse futuri, quòd ipsum prædixerit futurum, sed futurum, si futurum erat, etiamsi minimè erat prędictum, causam præscienti præbuisse, vt illud prædiceret. Ac istud quidem totum est in vaticinantis præscientia. Cæterùm cùm hoc aliquid possit euenire, possit & non euenire, alterum eorum erit hoc aliquid. Negamus, etiamsi præsciens posse euenire, & non euenire, verbi gratia, tale aliquid affirmet, id omninò fore, & impossibile esse vt aliter eueniat: Cuiusmodi pertinet ad omnem de rebus in nostra potestate positis, prænotionem, siue iuxta sacras literas, siue iuxta profanas historias. Et certè ignaua ratio, quæ apud Dialecticos vocatur, cum sit sophisma, non erit sophisma, Celsi opinione. *Ignaua ratio captiosa.* At secundum homines sanam habentes sententiam & mentem, est sophisma. Id vt intelligatur, è scriptura prædictis ad Iudam spectantibus vtar, aut Saluatoris nostri de ipso, vt se prodituro, præscientia. E Græcis historiis oraculo ad Laïum, ipsum in præsens verum concedens, K quoniam non officit disputationi. Igitur de Iuda centesimo octauo Psalmo, cuius initium, Deus, laudem meam ne tacueris, persona Saluatoris dicitur, Os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Et quidem obseruans Psalmi dicta, reperies quemadmodum præcognitum est à Iuda, Saluatorem fuisse prodendum: sic eum causam & authorem fuisse proditionis, & dignum execrationibus propter improbitatem ipsius in Prophetia positis. Hæc enim (inquit) patiatur, quia oblitus est facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem & mendicum. Igitur poterat recordari operum misericordiæ, neque eum persequi quem persequebatur. Iam id cum posset, minimè prestitit, sed prodidit, ita vt dignus istis imprecationibus fuerit. Ad Græcos autem hoc ad Laïum oraculo vtar, siue ipsas dictiones, siue æquales, prout scripsit Tragicus, vsurpans. Apud ipsum persona eius, qui futura præsciebat, dicitur,

Ne sere filiorum sulcum, dæmonum vi.
Nam si filium genueris, te interficiet genitus,
Atque tota tua domus viuet per sanguinem.

αὔλακα lego, non ἄυλοκα.

Istis profectò apertè ostenditur, in Laij fuisse potestate, filiorum sulcum minimè serere, quoniam non ei impossibile imperasset oraculum. L Poterat ergo non serere, & ad neutrum istorum cogebatur. Contigit autem ei, vt dum non caueret à liberorum satu, inde pateretur, quæ commemorantur in Oedipodis, & Iocastę, & filiorum tragœdia. Præterea huc pertinet Ignaua quę vocatur ratio, cum sit sophisma, siue captio, ex hac hypothesi apud ęgrotantem sic concludens, & captiosè ipsi ad curationem medico vti prohibens: Si fato futurum, vt leuetis ex hoc morbo, siue introducas medicum, siue non introducas, leuaberis. At si fato futurum, ne ex hoc morbo conualescas, siue introducas, siue non introducas medicum, non leuabere. Cæterum aut fato decretum vt conualescas, aut fato decretũ te non conualiturum. Frustrà igitur medicum adhibebis. Enimuerò lepidè huic orationi tale quid comparetur. Si fato decretum, vt liberos procrees, siue notitiam habeas fœminæ, siue non habeas, liberos procreabis. Quod si est in fatis te non procreaturum liberos, non suscipies. Atqui alterum eorum fato est decretum: frustrà igitur ad mulierem accesseris. Nam vt in hoc, siquidem vt liberos procreet, qui non accedit ad mulierem, impossibile, non frustrà assumitur, accedere ad mulierem: ita si leuatio è morbo via medicinæ existit, necessariò assumitur medicus, & falsa est propositio, frustrà adhibes medicum. Hæc verò omnia assumpsimus propter ea, quæ sapientissimus Celsus proposuit, dicens, Deus cum sit, prædixit, & omninò oportuit fieri, quod prędictum. M Nam si particulam omninò, accipit pro necessariò, non fatebimur. Poterat enim etiam minimè fieri. Sin Omninò ponit pro Erit, quod quidem verum esse nihil vetat, etiamsi poterat non fieri, nihil lęditur oratio. Non enim sequitur, quia Iesus verè prędixit se à Iuda prodendum, & à Petro negandum, ideò prędictionem fuisse causam impietatis, profaníque operis. Nam cernens improbos eius mores, qui nouit quid sit in homine, item quid esset aggressurus, quia auarus erat bonorúmque cupidus, neque firmiter de doctore, vt oportebat, sentiret, cum multis aliis, etiam istud protulit, *Ioan. 13.* Qui intingit mecum manum in paropside, ille me prodet. * Age verò tentemus etiam ostendere, Stellas nullo modo actionum humanarum causas esse effectrices, sed duntaxat significatrices. Perspicuum est, si certa stellarum coniunctio causa censeatur eorum quæ circa hominem contingunt (liceat enim nunc de hoc disputare) hodierna coniunctio, exempli causa, circa hunc facta, non poterit intelligi præterita effecisse circa alterum, aut etiam circa alios. Omne enim efficiens effecto antiquius est. Atqui iuxta eos, qui istam scientiam profitentur, res hominum pręteritę ista positione siue figuratione prędici existimantur. Enuntiant enim certum locum, vbi horam certi hominis sumpserunt, comprehendere, quo pacto erũt singulę errantes stellę ad perpendiculum,

** Sequentia desunt lib. 2. contra Celsũ. Eusebius lib. 6. De præparatione, habet & citat è Commentariis Origenis in Genesim, quæ non extãt.*

A pendiculum, aut in hac signi parte, aut eius minutis: item qualis stella Zodiaci erat in Horizonte orientali, qualis in occiduo, quæ in medio cœli, quæ in parte medio cœli opposita. Cúmque stellas, quas existimant seipsas figurasse, secundum tempus natalium alicuius, ad hunc modum figuratas posuerint, tempore eius partus, de quo tractant, non modò futura verùm etiam præterita, & quæ natiuitatem hominis atque conceptum antecesserunt, vestigant. De Patre, qualis est, diuésne an pauper, integro corpore an læso, moribus probis an improbis, nulla possessione an ampla, hócne opus an illud exerceat. De matre eodem modo, & de senioribus sororibus: si quas fortè habent. Porrò admittamus in præsens, ipsos veram domorum positionẽ comprehendere, quod tamen pòst falsum esse demonstrabimus. Nunc interrogemus eos, qui humanas res ab astris necessitatem accipere opinantur, quo hodierna stellarum figuratio, ea quæ præcesserunt, potuit efficere. Quod si hoc simpliciter est impossibile, inuenitur autem Astrologus de præteritis vera dixisse, patet stellas sic in cœlo agitatas, præterita, & quę prius quàm sic essent collocatę, cótigerunt, non effecisse. Interim si quis fortè eos vera dicere admittit, futurorum prædictionibus deditus respondebit, vera eos dicere, non quòd stellæ efficiant, sed quòd duntaxat significent. Quod si quispiam asserat, præterita B quidem significari tantùm hæc stellarum positione, futura autem etiam effici, ostendat differentiam: causam discriminis afferat, cur hæc intelligantur vera, quasi ab astris efficientibus, illa, vt à significantibus tantùm. Qui non poterit huius rei discrimen assignare, rectè constituet, nihil humanarum rerum à stellis effici, sed vt antè memorauimus, si modò etiam verum, significari, vt quasi non à stellis tam præterita, quàm futura, sed ab ipsa Dei mente per verbum propheticum accipiantur. Nam quemadmodum oratio de libero arbitrio, sicuti antè diximus, Deum scire res à singulis agendas non prohibuit, ita neque signa, quæ ad significandum diuinitùs ordinata sunt, nostram libertatem impediunt, sed sunt similia libro Prophetice futura complectenti, quo modo cœlum vniuersum, quasi Dei liber, futura potest continere. Vnde & in oratione Ioseph, quod à Iacob dicitur, sic potest intelligi: Legi enim in tabulis „ cœli, quæcunque vobis & filiis vestris euenient. Fortasse „ etiam illud, Complicabitur cœlum vt liber, significatrices futurorum rationes perficiendas, &, vt sic dicam, adimplédas ostendit, quemadmodum Prophetiæ dicuntur impletæ, cùm iam euenerint. Hoc modo in signa stellas factas arbitramur, iuxta scripturę vocẽ, Sint in signa. Hieremias autem homines ad se conuertens, & metum, qui à stellis significari, aut etiam proficisci existimatur, adimẽs, A signis (inquit) cœli nolite timere. Sed alterum argumentum, quî C stellæ nequeant esse causę efficientes, nisi fortassis præsignificando, dispiciamus. Concedentes igitur interim per hypothesim, posse ab hominibus hanc scientiam comprehendi, quærimus quo pacto à multis natiuitatibus eandem rem contineri contendunt. Nam si patibulo moriturum aliquem dixerint, non à natiuitate ipsius id solummodò, verumetiam fratrum, filiorum, aliorúmque attinentium, imò verò interficientium, posse intelligi credunt. At quî fieri potest, vt quod tam multis natiuitatibus, vt hoc illis concedatur, continetur, à constellatione huius potius natiuitatis, quàm istorum existat? Improbabiliter enim dicitur, constellationem priuatę alicuius natiuitatis hęc effecisse, sed duntaxat significasse. Stultum enim mihi videtur in vnaquaque tam multarum natiuitatum, mortem vnius esse contentam. Nescio autem quo modo respondere poterunt, si quis eos interroget, in vnâne vniuersi positione Iudæi omnes in lucem eduntur, vt necesse sit octauo die omnes circumcidi, & statim in hanc vitam ingressos, malè vulneribus affectos, medico indigere: Ismaëlitas, qui in Arabia degunt, tredecennes cunctos circumcidi. (Ita enim de ipsis traditum est.) Nonnullos Æthiopas poplitũ cóchis orbari, & Amazonas mammarum altera. Quomodo enim hęc in quibusdam gentibus stellæ perpetuò faciunt, in quibusdam nunquam? Et multa profectò ratio

Liber apocryphus.

Esa.

Genes. 1.

Hier. 10.

verisimilis, vt mihi quidem videtur, afferri potest. Verùm D cùm multæ diuinandi viæ ab hominibus excogitatę sunt, vt augurium, auspicium, somniorum interpretatio, nescio cur alias omnes significare tantùm, genethlialogiam verò efficere putarunt. Si enim futura cognosci possunt, vt hoc eis gratis concedamus, inde fieri, vnde cognitio accipitur, cur à stellis potius, quàm ab extis, aut auibus, aut somniis, aut fulguribus, aut tonitruis producuntur? His satis demonstratum puto, stellas non esse causas humanarum rerum. In præsentiarum perscrutemur, an verum sit exquisitè loca stellarum & domorum posse ab hominibus inueniri, quod superiùs (nihil enim oberat) dedimus. Asserunt enim Genethlialogici, se non tantùm planetarũ loca exactissimè scire, sed & minuta, & minutorum minuta non ignorare: Similiter non signum solummodò, verumetiam gradum, & gradus minuta primæ domus, quam ascendentem vocant, rectè teneri oportere. Quomodo igitur, cum vna hora largo modo mediam signi occupet partem, ascẽdentis minutum inuenies, cum tam minutam diuisionem temporibus habere nequeas? Opus enim esset scire, quota hora & minutis, minutorúmque minutis, ex vtero puer effusus sit. Alia enim atque alia significare volunt, minimo temporis discrimine habito. In Piscibus verò atque ariete, per obliquam istorum ascensionem signorum (hora enim & tertia horæ parte ascendere penè videntur) minimam temporis partem, magnam mutationem facere non E ignoramus, vt vel vigesima horæ vnius pars gradum ascedentis immutet. Sed hoc etiam eis concedatur. Demonstratum autẽ esse scimus, quemadmodum erraticæ ab occasu ad ortum feruntur: Sic & fixas centum annis vno gradu moueri, & in hoc spatio temporis positionem signorũ mutari, cum aliud sit intelligibile illud signũ, aliud quod quasi figura quædam est. At non ad figuram, sed ad intelligibile aiunt omnia signa esse referenda. Quod nescio, quo modo comprehendere queant. Sed hoc etiam ipsis condonemus, vt aut intelligibile signum comprehendere, aut à sensibili veritas haberi possit. Quæ autem commixtione, compositione, ac cum tempetie diuersorum aspectu vim fieri asserunt, profectò concedent nullo modo sciri posse. Quomodo enim, quantum diminuatur à læsione maligni, propter inspectionem benigni percipies? Et vtrum auferat malignus, quod à benigno conceditur, quoniam locũ eius aspexerit, aut mutet, aut imminuat, aut mixtura quędam inde fiet, quis percipiet? Quæ omnia si quis altius inspiciat, facilè credat, non posse ista humano ingenio penitus percipi. Vnde si quis harum rerum periculum fecerit, videbit in pluribus errare, quàm veritatem consequi Genethliacos. Quamobrem Esaias etiam, quasi hæc omnibus impossibilia sint, ad filiam Chaldæorum, qui maximè ista F profitentur, ait, Adsint, & saluent te Astrologi, cœli annuntient tibi quid tibi accidat. His enim verbis docemur, vel diligentissimos in hac re Chaldęos non posse prædicere, quæ vnicuique genti Deus velit attribuere.

Tertia pars capitis 23. quæ non reperitur apud Eusebium loco memorato, neque apud Origenem hodiè extantem.

NVNC enim, velut ad literam, Prophetæ oraculum exposuimus. Quod si Iacob ait se in cœli tabulis legisse res filiis Iosephi euẽturas, & ob id obiiciat aliquis contraria iis quæ diximus, declarari per scripturam (dicebamus enim hominem signorum non habere perfectam notitiam, cum Iacob asserat se in tabulis cœli legisse) respondebimus, nostros sapiẽtes copiosiore spiritu vsos, quàm humana natura ferat, non humana arte & viribus, sed diuinitus istorum arcanorum cognitionem esse adeptos: quemadmodum & Paulus, qui ait, Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui. Norant enim conuersionum vicissitudines, temporum mutationes, annorum circulos, stellarum situs non ab hominibus, neque per homines, sed per Spiritum sanctum ipsis reuelantem, & purè, prout vult Deus, diuina nuntiantem.

G Alioqui Iacob plusquam secũdum hominem fratrẽ suum Esau supplantauit: quod & ipse confitetur eodem libro, è quo produximus, Legi in cœli tabulis, dum se primariũ Tribunum virturisDomini, & nomen olim habuisse Israël prædicar. Quod quidem in corpore ministrans recognoscir, Vriele Archangelo in memoriam reducente. Restat inquirere, & ostendere fidelibus, cœli luminaria in signa esse posita. Nam qui curiosiùs in Scripturæ locos ferũtur, te conturbare possunr, cur hæc signa in cœlo Deus fecerit. Primum dici potest, nos credere intelligentiæ Dei omnem singularum rerum notitiam comprehendentis magnitudinem. Itaque nihil, quod vel tantillum existimetur ab ipsius diuinitate ignorari, eum apud se infinita numero comprehendere docet, non quidem clara demonstratione, sed fide veluti menti ingenitæ & vniuersam naturam superanti congruente. Vt igitur istud experientia percipiatur ab animis humana sorte maioribus & sanctis, presenti corporis vinculo laxatis, tanquam literas & characteres, per cœlestium conuersionem fecit Deus, vt in cœlo docti & docendi signa Dei legerenr. Nec verò mirandum, quòd Deus aliqua ad beatorum gloriam & ostensionem faciat, cùm scriptura Pharaoni dicat, in hoc ipsum excitaui te, vt in te virrutem meam ostendam, vtque nomen meum in vniuersa terra prædicetur. Si enim seruatus est Pharao in ostenH sionem virtutis Dei, & nominis ipsius in vniuersa terra prædicationem, cogita quantam Dei ostentationem cœlestia signa cõtineanr, cunctis ab æuo ad consũmmationem vsque, cœlo, volumini Deo digno, impressis atque cęlatis. Deinde, vt coniicio, insita sunt signa virtutibus res humanas administrantibus, partim vt duntaxat cognoscãt, partim vt efficiant. Quemadmodum in nostris libris quædã scribuntur, vt cognoscamus, ceu de mundi procreatione & eiusmodi mysteria, quædam, vt cognita agamus, ceu præcepta & mandata Dei. Contigit igitur cœlestes literas, quas Angeli diuinæque virtutes rectè possunt legere, continere aliqua ab Angelis & ministris Dei legenda, eis vt cognitis delectentur: alia, vt acceptis veluti mandatis, agant ita vt non peccemus, si asseramus cœlum & stellas iis quæ lege rraduntur, altera ex parte respondere. Quòd si prauæ, aliæque hominum actiones, nonnulla in cœlo præcognita & significata agant, nulla necessitate id fit, quamuis Dei literæ recolant. Sed quemadmodum homines iniustè agẽtes, qui nesciunt Deum, hunc à se iniuria afficiendum prępuidisse, iniustitiam exercent sua ipsorũm prauitate: sic contrariæ potestates, Deo hominum perniciosè viuere volentium prauitatem pręnoscente, turpissima sua ipsorum voluntate perficiunt. At sancti Angeli, administratorij spiritus, qui in ministerium emittũtur, vt par est, velut lege Dei tradita mandata accipientes, ordine, & quando oportet, & vt oportet, & quantum oportet, meliora agunt. Absurdum enim eos, vtpote diuinos, fortuitò, aut necessariò accedere ad aliquid Abrahæ oraculo declarãdum, & aliquid Isaaco præstandum, & Iacob è periculis liberandum, aut spiritui alicuius Prophetæ assistendum. Ne igitur fortuitò & casu istud agant, librum Dei legunt, sicque ipsis conuenientia agunt. Vt autem antè memorauimus, quæ agimus, aut quæ contrariæ actiones in nobis perficiuntur, nostra sponte agimus, mole quidem affecta, cùm peccamus, at sapiente, nec sine Angelorum & diuinarum literarum, & ministrorum sanctorum ope, cùm Deo grata & placentia operamur. Cæterùm Clemens Romanus, Petri Apostoli discipulus, istis hoc problemate tractatis congruẽtia, Laodicæ ad Patrem cùm esset locutus in Complexionibus, sub finem illius disputationis, aliquid maximè necessarium de iis, quę à natiuitate euenisse videtur, oratione decima quarta asserit. Ignosce fili (ait Pater.) Hesterni enim tui sermones, cùm veri essent, effecerunt vt tibi suffragarer. At me nonnihil conscientia, ceu febris reliquiæ, in cõtrarium exercet. Mihi enim sum conscius vniuersa, quæ ad meam natiuitatem spectant, fuisse perfecta. Hîc ego. Mecum cogita, Pater, qualem naturam Mathematica habeat ex iis quæ tibi consulo. Primum conueniens Mathematicum sic dicito: Hæc mihi mala illo tempore contigerunt. Quonã ex astro mihi ista contigerint, velim scire. Statim ille allegabit maleficum Martem, aut Saturnum illis temporibus K grassatum, aut quis eorum extiterit restitutor, aut quis annum illum quadrato aspectu, vel ex diametro respexetit, vel ex coniunctione, vel ex centro, vel pręter opinionem. Similia etiam alia infinita affirmare poterit. Præterea, aut beneficus planeta (inquiet) non ponebatur cum maligno, aut non videbatur, vel in figura, vel præter opinionem, vel in Eclipsi, vel non contingebatur, vel erat in obscuris stellis. Cúmque similiter multi sint prætextus ad ea, de quibus fuerit consultus, demonstrationes adhibebit. Itaque post hunc Mathematicum, cum altero congredere, & ei contraria narra: Hæc mihi bona illo tempore euenerunt. Idem autem tempus determina. Præterea require, è quonam natiuitatis astro ista acciderint. Tum similiter, vt prędixi, audies eum, te mentiente, è multis figuris vnam aliquam, & alteram, & tertiam, & plures inuenire, quas istorum bonorum effectrices dicat. Fieri enim nequit in vniuersa hominum natiuitate, quin in omnibus horis aliquę stellę benignum habeant situm, alię malignum. Nam circulus partibus æqualis, varius est, infinitas habens species, & prospectus, quorum causa quisque dicere habet quæ libuerit. Quemadmodum enim de obliquis ancipitibúsq; somniis nihil interdum cogitamus, at vbi euenerint, accommodatissimam solutionem affetimus: ita etiam Mathematica L disciplina, antequàm res perficiatur, nihil nobis perspicuũ potest declarare: Verum vbi res est facta, tunc euẽtus causa perspicua esse videtur. Itaque crebrò prædicentes labũtur, & post euentum semetipsi reprehendunt, ac aiunt, illud debuisse effici, sed à se non esse animaduersum. Vnde, quòd valdè periti labantur, fit, quia nesciunt, vti heri dicebam, qualis omninò natiuitatis causa existat, qualis non omninò. Cur autem aliqua penitus facere expectamus, nec tamen faciamus, causa nobis, qui mysteriũ didicimus, est perspecta: Nempè, quia liberam habentes rationem, vbi interdum eam deliberauerimus suspendere, vincimus. Astrologi autem, istud ipsum mysterium ignorantes, de omni consilio & proposito pronuntiantes ab initio, magno errore Climateres, quasi quosdã scalarum gradus excogitarunt, ad incertissima adigentes consilium & voluntatem, quemadmodum heri ostendimus. Ad hæc si quid habes dicere, narra. Ille iuramento interposito his, nihil iis quæ docuimus, verius esse respondit.

Citat librum Apocryphũ. — *Rom. 9.* — *Clemens Romanus.*

DE MATERIA: EAM ESSE *ingenitam, neque malorum causam.*

CAP. XXIIII.

E tractatu in primum caput Geneseos.

M NON posse duo esse ingenita simul, ne te quidem ignorare arbitror. Et si præcedentia rectè videris accepisse, disputationi addendum, necessariò omninò duorum alterum dicere oportere, aut Deum à materia esse separatum, aut rursum ab ea non esse diuisum. Si quis igitur ipsum esse vnitum velit dicere, vnum ingenitum constituet. Cùm enim horum vtrumque sit pars totius, partes simul inuicem iunctæ non erunt duo ingenita: quemadmodũ neque diuersa sunt genita, quæ in multas partas genites scinduntut, nisi ratione & intelligentia. Ac vt vnum quippiam genitum, multis partibus constans, hominem à deo productum esse dicimus: sic necesse est, si quidem à materia deus non fuerit separatus, vnum ingenitum dicere. Quòd si quispiam dixerit esse separatum, necessariò aliquid inter vtrumque medium intercedet, quod vtriusque separationem ostendar. Fieri enim non potest, vt aliquid ab altero distet, nisi sit aliquid, per quod vtriusque internallum cõsistat. Quod non in hoc solo quidem locum habet, verumetiam in quãplurimis. Nam quod de duobus ingenitis asseruimus, istud necessariò

Eus. citat 7. De prę. parat. cap. 8. — *Voces erãt trãspositæ in Græco.*

A necessariò similiter procedit, si tria ingenita ponentur. Etenim de iis interrogauerim, sint ne à se inuicem separata, an rursum singula alicui propinquo adunentur. Si adunata dicere quispiam velit, eandem cum prima audiet rationem: sin separata, necessariam separantis constitutionẽ non effugiet. Sed fortassè aliquis tertiam esse rationem prędicabit, qua consentaneè de infinitis pronuntietur deò neque à materia esse separatum, neque rursum cum materia velut partes vnitum, sed Deum in materia versari, quémadmodum in loco, & materiam in Deo. Atqui si Dei locum materiam constituamus, Deus necessariò separabilis erit dicẽdus, atque ante materiã circũscriptus. Quin & simul cum materia ipsum oportebit ferri, & nusquam stare neque permanere, quòd à seipso quadam necessitate in loco, in quo alioqui est, moueatur. Præterea necessariò sequetur Deum in deterioribus extitisse. Nam si materia aliquando erat deformis, exornauit autem eam, in melius commutare exoptans, olim aliquando in formæ speciéiq; expertibus desedit Deus. Meritò etiam interrogauerim, replebátne materiam Deus, an in aliqua erat materiæ parte? Nam si materiæ parte capiebatur, Deus materia est multò minor. Quòd si per totam materiam spargebatur, quo pacto ipsam fabricabat? Necesse enim contractionem quandam Dei constituere, qua cõstituta fabricabat illud, à quo
B recedebat, aut etiam seipsum cum materia efficiebat, cùm non haberet recedendi locũ. Sin aiunt in Deo versari materiam, quærendum similiter, an vt eo à se distincto, quemadmodum in aëre animantium genus versatur, aëre diuiso & dispertito ad ea quæ illic fiunt receptanda, an vt in loco, quemadmodum in terra aqua. Nam si dicamus vt in aëre, necesse erit Deum diuiduum dicere: sin vt in terra aqua, cùm aqua esset informis, sine ornatu & ordine, mala etiam complectentur, Deum oportebit dicere locum retũ ornatus expertium, prætereáque malarũ. Quæ verba non mihi boni ominis esse videntur, imò verò erroris plena. Ideò enim materiam statuis, ne Deum malorum auctorem facias, ídque vitare cupiẽs, receptaculum malorum ipsum esse affirmas. Si igitur materiam ex genitis subiectis ingenitam esse asseuerasses, prolixè eam docuissem talem esse non posse. Nunc quoniam malorum ortum, causam istius suspicionis asseruisti, proinde ad hanc quæstionem veniẽdum mihi videor. Nam vbi mihi fuerit perspectum, quo pacto existant mala, nec fieri posse, vt Deus dicatur non esse causa malorum, ex eo quòd materia ipsi subiiciatur, hanc suspicionem tollendam cogita. Ais igitur materiam qualitatis expertem simul cum Deo extitisse, è qua huius mundi ortum condiderit. N. Mihi ita videtur. OR. Ergo si qualitatis erat expers materia, mundúsque à Deo est effectus, cùm in mundo sint qualitates, qualitatum effector extitit Deus? N. Sic habet. ORIG.
C Quoniam autem te antea commemorantem audiui, ex iis quæ non sunt, aliquid non posse existere, ad meam interrogationem responde. An tibi videntur mundi qualitates non exortæ è subiectis qualitatibus, sed aliud aliquid esse præter essentias? N. Videntur. ORIG. Si igitur neque ex subiectis qualitatibus qualitates produxit Deus, neque ex essentiis, quod ipse minimè sint essentiæ, è nihilo ipsas à Deo effectas necessariò concludendũ. Quocirca temerè à te mihi videtur pronuntiatum, non esse opinandum quicquam à Deo fieri posse ex iis quæ non sunt. Sed de eo sic instituatur disputatio. Apud nos cernimus homines ex iis quæ non sunt, aliqua efficere, etsi isti maximè videantur aliquid efficere in aliquo. Exemplum ab architectis assumamus. Hi conficiunt vrbes è non vrbibus, templa similiter è non templis. Si existimas, quoniam his essentiæ subiectæ sunt, ex iis quæ non sunt, eos ista facere, falleris verbo, Non enim essentia est, quæ confecit vrbem, aut rursum templa, sed ars circa essentiam versans. Ars autem non è subiecta aliqua in essentiis arte efficitur, sed ex arte quæ in ipsis minimè existit. Sed mihi videris occursurus ex eo, quòd artifex ex ea quam habet, arte, versantem circa essentiam artem conficit. Atqui in homine non oritur è quadam subiecta arte. Non enim admittendum ipsam artem in seipsa existere, cum sit accidentium, eorũque quę tunc cohęrentiam nanciscuntur, quando in essentia efficiũtur. D Homo enim etiam sine architectura existit: Architectura sine homine, non item. Quamobrem artes ex iis quæ non sunt, in hominibus suapte natura effici necessariò est asserendum. Si igitur istud sic habere in hominibus ostendimus, quo pacto non fuerit consentaneum, Deum non modò qualitates è non existentibus posse efficere, verumetiam essentias? Quia enim apparet posse aliquid fieri è non existentibus, essentias etiam sic se habere ostenditur. Porrò quoniam de ortu malorum disserere expetis ad huiusmodi disputationem accedamus. A te breuiter requiro, vtrum mala tibi videãtur essentię, an essentiarũ qualitates. N. Essentiarum qualitates dicere mihi videtur consentaneum. ORIG. Prætereà, materiáne qualitatis erat expers, & figuræ? N. Sic in præcedentibus sumptionibus verbo sum professus. ORIG. Igitur si mala essentiarum sunt qualitates, materia verò erat qualitatis expers, & Deum qualitatum effectorem esse concessisti, erit etiam malorum opifex Deus. Quando ergo ne sic quidem Deus potest non dici malorum causa, materiam ipsi adhibere mihi videtur superuacaneum. Si ad hęc habes aliquid dicere, ordire à principio. Nam si contentionis studio à nobis institueretur disputatio, nollem denuò de malis malorúmque ortu determinari. Sed quoniam amicitiæ potius & communis vtilitatis gratia disputationẽ E suscipimus, altius de iis definiri postulo. Meum institutum magna ex parte tibi esse perspectum arbitror, & in differendo studium. Non enim probabiliter falsa narrans, vincere studeo, sed veritatem cum diligenti disquisitione ostẽdere. N. Te profectò sic affectum esse perspicuè scio. Itaque qua potius ratione vtendum putas, vt veritas possit peruestigari, ea, nihil cunctatus, vtere. Sic non tibi profueris modò, verumetiam mihi, illustratis iis, quæ me ignorare fateor. Apertè proponi mihi videtur, etiam mala quasdam esse essentias: Non enim extra essentias ea esse video. ORIG. Ergo quoniam mala esentias esse sentis, necesse est esentiæ rationem inquirere. Tibíne videtur esentia corporea quędam esse concretio? N. Videtur. ORIG. Corporea autem concretio ipsáne à se existit, nullo indigens, quo posito existendi actum consequatur? N. Maximè. ORIG. Videntúrne etiam tibi mala, alicuius esse actiones? N. Videntur. ORIG. Actiones autem nônne tũc existentiam adipiscuntur, cum agens adest? N. Sic habet. ORIG. Prætereà cum deest agens, nônne similiter semper deest, quod agit? N. Deest. ORIG. Ergo si essentia corporea quædam est concretio, corporea autem concretio non eget aliquo, in quo effecta, existendi actum consequatur: & mala sunt alicuius actiones, quæ quidem egent aliquo, in quo effectæ, esse incipiunt, mala non erunt essentiæ. Prætereà si mala sint esF sentiæ, malúmque sit cædes, cędes erit essentia. Atqui cædes alicuius est actio. Non igitur essentia. Prætereà nónne agentia vis, esse essentias? N. Assentior. ORIG. Veluti homicida. Quatenus enim homo, substantia est. Cædes autem quam patrat, non est essentia, sed opus esentiæ aliquod. Appellamus autem hominem, modò malũ ab interficiendi actione, modò bonum à benefaciendi ratione: atque hæc vocabula applicantur esentiæ ex iis, quę ipsi accidunt, quæ certè non sunt ipsamet esentia. Neque enim cædes est esentia, neque rursum adulterium, neque his similia mala. Sed quemadmodum à Grammatica Grãmaticus denominatur, à Rhethorica Rhetor, à medicina medicus, cum neque esentia sit medicina, neque Rhetorica, neque Grammatica, sed à sibi accidentibus denominationem sortiatur, è quibus sic videtur denominari, cum nullum istorum existat: sic certè opinor esentia à malis, quæ in ipsa inesse videntur, nomen adipiscitur, cum nihil illorum existat. Ad eundem modum cogita, si aliquem aliũ in animo fingis hominibus malorum esse authorem, illum malum appellari, quòd malorum sit effector: Quæ autem quis facit, non est ipse, sed ipsius actiones atque effectus, à

De ortu malorum.

G quibus denominationem mali consequitur. Nam si illum confunderimus cum iis, quæ ipse facit (facit autem cædes adulreria, furta, iisque similia) ipse ista erit. Quod si ista nō fuerit, ista autem quando fiunt, consistentiam habent, quādo non fiunt, consistere desinunt, cùm ista ab hominibus fiant, homines eorum auctores, tam existendi quàm non iam existendi erunt causæ. Si ista dixeris eius esse actiones, è quibus vt malus sit, habet, non è quibus est essentia: malum verò affirmauerimus ab essentiæ accidētibus dici, quę quidem sic ab essentia differunt, vt à medicina medicus: Rursum si ex iis quæ agit, existendi principium assequitur, & cœpit ille esse malus, cœperunt autem etiam ista mala, profectò mala neque carent principio, neque sunt ingenita, propterea quòd ab isto producta affirmantur. M. Cum altero sat mihi videris disputasse. Nam ex iis quę antè sumpsisti, ratiocinando visus es rectè vereque colligere. Si expers qualitatis erat materia, qualitatis autem effector sit Deus, ac mala sint qualitates, malorum erit auctor, effectórque Deus. Atque hæc quidem ratio in istum præclarè esto producta. At mihi falsò videtur concessum, materiā expertem esse qualitatis. Nam nefas dicere de quacunque essentia, eam esse qualitatis expertem. Et enim eo ipso, quòd expertē qualitatis esse ait, qualitatē ipsius significat, qualis sit materia, describēs, quæ quidē est qualitatis forma. Quare si tibi lubet, à principio mecū habe sermonē.

H Mihi materia sine principio habere videtur qualitates. Sic enim etiam mala ex eius effluuio aio existere, ne Deus eorum sit causa, & auctor. Nam id ad materiam refertur.

ORIG. Animi tui propensionem, Charissime, boni consulo, & tuum in disserendo studium laudo. Conuenit enim certè singulos studiosos non simpliciter neque temere pronuntiatis assentire, sed diligentem adhibere disquisitionem. Neque enim si disputator præter rationem sentiens, præbuit contrà disserenti occasionē colligendi quod volebat, eo etiam cæteri auditores adduci & persuaderi debent, sed dicere coràm, si quid in contrarium rectè posse pronuntiari vident. Nam vel auditor eo quo videtur moueri, planè proficiet, vel disserentem vera non dicere docebit. Cęterùm non mihi verè dixisse videris materiam à prima origine habere qualitates. Hoc enim posito, cuius erit effector Deus? Siue enim materiam præcedere essentiam affirmauerimus, siue qualitates, & eas existere dixerimus, nónne cùm existant essentia & qualitates, superuacaneum videtur dicere Deum esse opificem? Sed ne mihi ipsi rationem videar conficere, interrogatus mihi responde. Quo modo Deum putas esse opificem? Vtrum quia essentias vertit, vt non amplius essent quod erant antea, sed aliæ præterea fierent, an quia essentias quidem seruauit in suo pristino statu, ipsarum autem mutauit qualitates? M. Non puto aliquam fuisse substantiarum mutationem. Nā id mihi absurdum videtur. At qualitatem quandam con-
I uersionem extitisse assero, quarum causa Deum statuo esse opificem. Quemadmodum si contingat dicere domum extitisse è lapidibus. Non enim asserendum lapides iam domum effectos, non retinere amplius lapidum essentiam, cùm sola compositionis qualitate domus effecta intelligatur, nempè mutata priore lapidum qualitate. Eo certè modo Deus manente substantia, quandam qualitatum ipsius mutationem effecit, secundum quam mundi huius ortum à Deo extitisse statuo. ORIG. Mihi pauca percontari cupienti responde. M. Age, si tibi videtur. ORIG. Erántne à principio istæ qualitates in materia, an existendi habuere principium? M. Semper extitisse qualitates in materia, absque ortu assero. ORIG. Sed numquid Deum ais mutationem quandā qualitatum fecisse? M. Aio equidem. ORIG. Vtrum igitur in melius, an in deterius? M. In melius opinor. ORIG. Igitur si qualitates materiæ sunt mala, eius verò qualitates in melius commutauit deus quid necesse est mala quęrere? Non enim qualitates, quales aliquando erant natura, permanserunt. Aut si quidem antea qualitates non erant malæ, sed ex eo, quod primæ à Deo mutatæ sunt, tales circa materiam effectæ sunt, malorum auctor & causa erit Deus, qui qualitates non malas, in K
malas vertit. An malas quidem qualitates in melius commutatas opinaris, cęteris, iisque solis, quę erant indifferentes, ornatus gratia commutaris? M. Sic ab initio dixi. ORIG. Quo pacto ergo malorum qualitates Deum dereliquisse ais? An cùm posset eas tollere, noluit, aut cùm vellet, non potuit? Nam si potuisse prædicas, at noluisse, necesse est istorum causam dicere. Cùm enim, ne mala existerent, facere posset, manere ea, vt erant, siuit, præsertim quando condere materiam cœpit. Nam si nihil ei curæ erat de materia, eorum causa haud fuerit, quæ in sua reliquit sede & statu. Quoniam autem partem eius aliquam fabricauit, partē aliā sic reliquit, cùm eam alioqui posset in melius vertere, mihi meritò culpandus videtur: quippè qui materiæ partem malignam reliquit in eius perniciem, quam cōdidit. Quinetiam summoperè, secundum illam partem, læsa iniuriaque affecta mihi videtur illa ipsa, quam composuit, materiæ pars, malorum nunc effecta particeps. Nam si quis diligenter perquirat, reperiet materiam nunc ægrius affectam, quàm cum initio rudis erat, & omnis ornatus expers. Antequàm enim discerneretur, nullo malorum sensu afficiebatur. At nunc singulæ ipsius partes malorum sensum percipiunt, vt hominis exemplo potes intelligere. Ille priusquàm formetur, fiátque animal conditoris opificio natura habet, vt nihil mali sentiat. L
Ex quo autem à Deo, vt homo sit, consequitur, etiam sensum appropinquantis mali obtinet. Atque id, quod ad materiæ lucrum à Deo factum prędicas, adesse ipsi potius ad maius damnum reperitur. Quòd si ex eo quòd Deus non potuerit mala tollere, eum responderis impotentem, id continget, vel quia sit natura infirmus, vel quia metu superetur, à præstantiore mancipatus. Atqui Deum audere dicere natura infirmum, est, vt mihi videtur, de eius salute dubitare. Si verò metu superetur à maiore, mala erunt Deo maiora voluntatis eius vim & impetum vincentia atque superantia. Quod de Deo asserere mihi videtur absurdissimum. Cur enim non ista potius erunt dij, cum Deum tua opinione vincere valeant? Etenim Deum illud appellamus, quòd omnium habet potestatem. Porrò breuiter etiam de materia te volo percontari. Mihi ergo responde. Materiane erat simplex, an composita? Nam rerum procreatarum diuersitas ad hanc quæstionem me adigit. Si simplex erat, & vnius modi, cum compositus sit mundus, profectò è differentibus essentiis & temperamentis concretionem habebit. (Nam compositum simplicium quorundam mixtionē declarat.) sin rursum materiam velis dicere compositam, prorsus componi è quibusdam simplicibus. Si igitur è simplicibus composita erat, aliquando per se simplicia existebant, quorum compositione effecta sit materia, ex quo etiam generata ostenditur. Nam si materia est composita, & composita è simplicibus componuntur, aliquando materia non extitit, nempè antè quàm simplicia concurrerēt. M
Ergo si aliquo tempore materia non extabat, cum dari nequeat tempus, in quo non extiterit ingenitum, materia haud erit ingenita. Quin & sequitur multa esse ingenita. Nam si deus erat ingenitus, itémque simplicia, è quibus materia est constituta, non duo duntaxat erunt ingenita. Verum nullæ ne res tibi videntur secum pugnare. M. Maximè. ORIG. Igni autem aqua opponitur? M. Opponi mihi videtur. ORIG. Itidem lumini tenebræ? calido frigidum, sicco humidum? M. Sic videtur. ORIG. Igitur si nihil secum pugnat, sibive ipsi opponitur, hæc non erunt vna materia, neque ex vna materia. Præterea te de quęstione simili lubet interrogare. Putásne partes non se mutuò destruere? M. Puto. ORIG. Materiam autem habere pro partibus ignem & aquam, iisque similia reliqua? M. Sic arbitror. ORIG. Quid? nónne vides ignem ab aqua destrui, tenebras à lumine, & quæ iis sunt similia? M. Video. ORIG. Ergo si partes non se mutuò perimūt, materię autem partes se mutuò delent & perimunt, non sibi inuicem sunt partes: si sibi non sunt inuicem partes, non erunt vnius materiæ, sed neque vna materia: siquidem nulla

A nulla res semetipsam perimit iuxta oppositorum rationem. Neque enim quicquam sibi ipsi opponitur, cùm presertim opposita aliis opponi natura soleant. Exempli causa, Album sibi ipsi non opponitur, sed dicitur oppositum, nigri comparatione. Similiter lumen sibiipsi perspicuè nō aduersatur, sed eam habere videtur rationem, comparatum cum tenebris. Idē quamplurimorū aliorū iudiciū, Si igitur materia vna aliqua erat, illa secum minimè pugnabat. Sic autē oppositis se habentibus, materiā non esse ostenditur. Hæc è libro septimo Eusebij de præparatione Euāgelica. Sunt autem Maximi, vt ipse Eusebius tradit, non ignobilis inter Christianos scriptoris. At totidem verbis extant etiā apud Origenem, Dialogo contra Macionistas, & alios hæreticos Megethio aduersario, Eutropio iudice.

deesse videtur, aut aliquid simile.

SEGREGATIONEM, SIVE ELECTIOnem è præscientia, arbitrij libertatem non tollere.

CAP. XXV.

An hæc extent.

E primo Commentariorum in Epistolam ad Romanos, ad illud, Segregatus in Euangelium Dei.

B TERTIO considerandum illud, Segregatus in Euangelium Dei. In Epistola ad Galatas Apostolus de seipso sic loquitur: Cùm autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ reuelare filium suum in me. Assumant autem, qui huiusmodi dicta non intelligunt, prædestinationem è præscientia factam, causam esse, cur res antè cognitæ fiant, ac his putant se saluatos à conditione & natura introducere. Quinetiam ex huiusmodi sententiis libertatem nostram nonnulli tollunt, adducentes & istud è Psalmis, Alienati sunt peccatores à vulua. Quibus occurrere possumus continenti locutione, quæ subnectitur, Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa, furor illis secundum similitudinem serpentis. Interrogabimus igitur eos, qui externæ literæ vt perspicuæ insistunt, an peccatores alienati à vulua, simulatque ventre matrum sunt egressi, errauerunt, atque à salutis via declinarunt, ad id sua opera instituētes? Præterea, quo pacto abalienati à vulua, ex vtero errarunt, & locuti sunt falsa? Non enim sanè eos demonstrabunt, simul atque generati sunt, articulatam habuisse vocem, qua aliqua mendacia proferrent. At si intendamus iis, quæ ante prædestinationem in epistola, de qua agitur, sunt posita, poterimus sublata opinione simpliciores ad recipiendam iniustam diuinæ sententiæ accusationem attrahente, reddere rationem de eo qui ab vtero matris segregat, item qui ad Euangelium Dei segregat Iesu Christi seruum, vocatum Apostolum, Paulum. Sic nempè habet tota oratio: Nouimus C quia diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt: quia quos præsciuit, etiam prædestinauit conformes imaginis filij sui, vt ipse sit primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit. Quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Attendamus igitur ad dictorum ordinem. Iustificat Deus, vocans primùm, non iustificaturus, quos non vocauerit. Cæterùm vocat, vbi ante vocationem prædestinauerit: alioqui quos non prædestinauerit, non vocaturus. Nec ipsi vocationis & iustificationis principium est prædestinatio. (Nam si prædestinatio consequentium esset primum principium, qui absurdam de natura, necessitatē ve naturali sententiam perperàm introducunt, probabiliter obtinerent) sed prædestinatione altior est præscientia. Quos enim præsciuit (inquit) etiam prædestinauit conformes imaginis filij sui. Quocirca acriter antè attendens Deus ad futurorum ordinem & consequentiam, atque impetum liberi arbitrij nonnullorum ad pietatem contemplans, quem alius impetus sequuturus esset ordine, quódque toti se virtuti essent traditūri, præsciuit ipsos, sciens quidem presentia, præsciens autem futura: ac quos sic præsciuit, prædestinauit futuros conformes imaginis filij sui. D Est igitur Dei filius, imago Dei inuisibilis: & eius imago, imago, quę dicitur, filij Dei, quā esse existimo animā humanam, quam assumpsit Dei filius, propter virtutem imaginis, Dei imaginem effectam. Ad hanc autem, quam arbitramur, imaginis imaginem esse filij Dei, conformes fieri eos Deus prædestinauit, quos propter præscientiam, quam de ipsis habuit, prædestinauit. Non igitur sentiendum futurorum causam esse præscientiam: sed quoniam futura erant secundum priuatos agentis impetus, ideò præsciuit: Ac cognoscens vniuersa, priusquàm efficiantur, nonnullos quidem præsciuit, & prædestinauit conformes futuros imaginis filij sui, alios autem vidit futuros alienos. Si quis verò ad ista quærat, possintne non fieri, quæ futura prænouit Deus, respondebimus impossibile quidem esse quin fiant, non tamen idcircò necessarium esse, vt non fiant, vel fiant. Nam fiunt non quidem planè necessariò, sed quòd etiam fieri possit vt non efficiantur. At logica eget subtilitate & contemplatione iste de contingentibus & possibilibus locus, vt purgato mentis oculo, aliquis subtilitatem demonstrationum persequens, possit contemplari, quo pacto quadamtenus nihil impedit aliquid posse multifariam contingere, cùm vnum è multis sit futurum. Ac vt ante cognitum sit istud euenturum, non tamen eueniet necessariò, sed cùm fieri possit vt non eueniat, eueniet non quidem coniectura prædictum, sed re vera præcognitum. E Porrò nemo existimet nos illud Secundum propositum, subticuisse, quasi nostram sententiam premeret: quoniam (inquit Paulus) Nouimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt.

Præsciētia nō est causa futurorum.

Quinpotius animaduertat Apostolum eius, quod dixit, secundū propositū, causam statim reddere, dū subiicit, Quoniam quos præsciuit, etiam prædestinauit conformes imaginis filij sui. Et sanè, quem alium oportebat seligi & segregari ad iustificantem vocationem, Dei proposito, quàm qui ipsum diligit? Rursum è libero nostro arbitrio causam præbet propositi Dei & præscientiæ id, Nouimus, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nempè, vt iis quidem verbis declaratur, omnia cooperantia in bonum propterea Deus confert, quoniam digni sunt auxilio atque ope, qui Deum diligunt. Verùm simul interrogemus aduersarios, nobisque rationem eorum afferant. Sicut per hypothesim aliqua in nostra potestate: sic enim loquemur cum ipsis, qui liberum arbitrium tollunt, quousque illorum sermonem de hypothesi non esse sanum docuerimus. Sit, inquam, liberum arbitrium. Igitur Deus intendens ordini rerum futurarum, agenda per liberū arbitriū, ab vnoquoque liberum arbitrium habente præsciet, aut non præsciet. Dicere non præsciturum, ignorantis est supremā mētem & magnitudinem Dei: Concedentes autem esse præsciturum, rursus percontabimur, an eius notitia causa sit, F cur res vēturæ futurę sint, posita arbitrij libertate, an quoniam futuræ sunt, prænouerit. Cumque nullo modo causa rerum vnicuique per liberum arbitrium euenturarum Dei sit præscientia, homo liber procreatus, nonnullis occurrētibus poterat non hoc, sed illud operari. His igitur & eiusmodi pronūtiatis constat illud, Euge serue bone & fidelis, quoniā super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituā. Ingredere in gaudiū Domini tui. sic & omne laudū genus. Seruatur etiam quod ei altera ex parte respōdet: Improbe serue & piger, oportebat te mittere argētum meū ad mensam. Præterea sic duntaxat constabit sentētia meritò ad iustos in dextris positos pronuntiata: Venite ad me benedicti patris mei: possidete paratum vobis regnū à constitutione mūdi. Esuriui enim, & dedistis mihi mãducare quæq; sequuntur alia. Itē ad collocatos à sinistris: Discedite à me maledicti in ignē æternū, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Quoniam esuriebam, & non dedistis mihi manducare: cum reliquis. Præterea si hæ sententiæ, Segregatus in Euangelium Dei: &, Qui segregauit me ab vtero matris meæ, necessitatem quandā continent, quo pacto cōgruen-

Gal. 1.
Gal. 1.
Rom. 1.
Rom. 8.
legendum

G ter dicebat: Subigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Item, Væ mihi si non euangelizauero. Nam his perspicuè statuit, quòd nisi subigeret corpus suum, & in seruitutem redigeret, poterat ipse aliis prædicans reprobus effici, & Væ ipsi accidere, nisi euangelizaret. Nunquid ergo cum his segregauit ipsum Deum ab vtero matris, & separauit in Dei Euangelium, simul prospiciens causam iustæ segregationis, quòd subacturus & in seruitutem redacturus esset suum corpus, metuens, ne quomodo aliis prædicans, reprobus ipse efficeretur: quódque intelligens se infœlicem fore, nisi euangelizaret, metu Dei, ne maledictioni fieret obnoxius, non taceret, sed euangelizaret? Et hæc certè cernebat, qui segregabat ipsum in suum Euangelium, quòd in laboribus foret abundantius, in carceribus plurimùm, in plagis supra modum, in mortibus sæpius, à Iudæis quinquies quadraginta plagas vna minus accepturus, ter cædendus virgis, semel lapidandus, aliis etiam quibusdam toleratis, glorians in tribulationibus, & sciens tribulationem patientiam operari: qui & sineret antè cognita in se impleri, segregatus ab vtero matris, & separatus in Euangelium Dei. Ob ista sanè dignum erat, vt segregaretur in Dei Euangelium, non quidem propter naturam, aliquid eximium habentem, & in opificio quippiam obtinentem supra aliorum, qui tales non erãt futuri,
H naturas, sed propter actiones anteà quidem præcognitas, posteà verò factas, singulatim præparatione & voluntate Apostolica. Porrò nunc explicare locum è Psalmis adductum, non est huius temporis, nam esset digressio. Itaque in suum locum, Deo concedente, explicationem referemus, quando Psalmum illum enarrabimus. Interim hæc abundè decursa in vocem Segregatus, sufficiant.

QVAENAM HABENDA SVNT bona, quænam mala. Item hæc in iis, quæ cadunt sub electionem & consimilium, & non cadunt, esse reponenda, iuxta Christi doctrinam, sed non vt Aristoteles opinatur,

CAP. XXVI.

Hic tomus non extat — *E tomo Commentariorum in quartum Psalmum, ad illud, Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?*

MVLTA cùm sit quæstio apud homines de veris bonis & malis, quibusdam non cadere sub electionem affirmãtibus bona & mala, vt qui verbi gratia, voluptatem bonum, molestiam malum esse pronuntiant: nonnullis inter eligenda duntaxat concludentibus bona & mala, atque virtutes honestásque actiones solas bona, prauitates prauasque operationes mala appellantibus: aliis, quæ tertia est opinio, miscentibus, & simul in eligendis & non eligendis bona & mala reponẽtibus: meritò probabilitate rationum attracti, multi fidelium discendi cupidi, ad locum de bonis dixerint, Quis ostendet nobis bona? Igitur in eligendis poni bonorum naturam quisquis sententiam de iudicio recipit, sine dubio confitebitur. Nam bonum esse affirmabit, cuius gratia aliquis audiet, Euge, serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Ingredere in gaudium Domini tui. Bonum præterea, quod à bono viro è corde profertur, vt Saluator inquit, Bonus homo è bono thesauro cordis sui profert bona. Et, vt semel dicam, omnis fructus bonæ arboris, cùm sit expetendus, est bonum, vt charitas, vt pax, gaudium, longanimitas, benignitas, beneficentia, fides, mansuetudo, temperantia: His autem contraria, mala. Quòd si etiam iuxta Christi doctrinam aliquid est bonum, aliquid malum, an ea etiam non cadant sub electionem, quæramus. Porrò

Epicurei. *Stoici.* *Peripatetici.*

I

K si aliquod malum vel bonum non potest eligi, vt posteà fortassè demonstrabimus, nunquid erunt ponenda in bonis & malis, ea quæ à miscentibus eligenda & non eligenda, feruntur? Nam illi opinantur bonorum alia esse animi, alia corporis, alia externa. Eandem prætereà malorum esse rationem. Animi bona dicunt virtutem & virtutis actiones, mala prauitatem & prauas actiones: Corporis bona, sanitatem, bonam valetudinem, pulchritudinem, mala morbum, valetudinariam affectionem, deformitatem: Externa, diuitias, paupertatem, gloriam, dedecus, nobilitatem, ignobilitatem. Arbitrabuntur autem aliqui secundum Scripturas similiter tria esse bonorum genera, tria malorum. Nam virtutes & vitia bona esse & mala admittentes, postquàm id concesserimus, obiicient scripturas corporalia & externa bona aut mala esse prædicantes. Et quidem de virtutibus & vitiis quid attinet dicere, cùm res morales nos doceant oportere eligere iustitiam, prudentiam, temperantiam & fortitudinem, earumque actiones, declinaréque contraria? Quocirca minimè habebunt exemplis, vt huiusmodi bona expetenda doceant. Corporis autem & externa bona è Scripturis diuinitus traditis variè ostendent. Nunc tamen aliquas proponere sufficit ex Exodo, & Leuitico & Deuteronomio, quæ multa præceptorum obseruantibus promittunt, & minas atque execrationes transgressoribus denuntiant. Exempli gratia, sanitatem esse bonum, ægritudinem malum, ex Exodo sic *Exod. 15.*
L demonstrari potest. Si seruaueris mandata mea & præcepta, omnem languorem quem induxi super Aegyptios, nõ inducam super te. Ego enim Dominus, qui sano te. Prætereà illud Deuteronomij ad peccatores, cogitandum præbet corporales plagas & morbos esse de malorum numero: contrà in bonis versari valetudinem, & corporis firmitatem: Nisi obtemperantes feceritis omnia verba legis huius scripta in libro hoc, vt timeatis nomen istud gloriosum & mirabile, Dominum Deum, magnificabit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas admirabiles & ægritudines malas & plurimas. Et conuertet in te omnem plagam Aegypti malam, quam timuisti à facie eorum, tibique adhæredit, & omnem infirmitatem, omnemque plagam in hoc libro legis conscriptam inducet Dominus super te, donec te perdat. Rursum transgredientibus mandata dicitur, Immittam vobis febrem & auriginem, & marcescentes oculos, & animam tabescentem. Præterea in Deuteronomio, à pietate discedentibus Deus comminatur ceruicis rigorem incurabilem. Qui verò volent externa bona è diuino verbo promittere, his Leuitici sententiis vtentur: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea seruaueritis, & ea feceritis, dabo vobis pluuiam in tempore suo, & terra dabit germina sua, & ligna camporum dabunt fructum suum, & vobis messis vindemiam excipiet, & vindemia sationem, & comedetis panem vestrum ad satietatem, & habitabitis cum securitate super terram vestram: & cæt. Rursum è Deuteronomio, Eritque vbi transieris Iordanem in terram, quam Dominus Deus M
dat vobis, & obseruanres feceritis vniuersa eius mandata, quæ ego præcipio tibi hodiè, ponet te Dominus Deus tuus super omnia, & ad te venient cunctæ hæ benedictiones, & inuenient te, si audieris vocem Domini Dei tui. Benedictus tu in vrbe, & benedictus tu in agro. Benedicti fructus ventris tui, & germina terræ tuæ, & armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Benedictæ apothecæ tuæ, & reliquiæ tuæ, &c. Vt rursum contrà impiè viuentibus dicitur, Maledictus tu in vrbe, execratus tu in agro. Maledictæ apothecæ tuæ, & reliquiæ. Execrati liberi ventris tui, & terræ tuæ germina. Maledicta armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Præterea alia infinita numero perferent, qui volent in corporalibus & externis bona & mala constituere: itémque accommodabunt Euangelia, prædicantes Christum incarnatum, tanquam mala abstulisse ab hominibus cæcitatem corporalem, & surditatem, & membrorum dissolutionẽ, omnẽ denique morbũ & languorẽ curasse, bona loco malorũ præcedentiũ conferendo, corporalem

A lem nempè videndi facultatem & audiendi, aliámque sanitatem & valetudinem, tibique persuadebunt, nisi etiam nos confiteamur, lunaticum esse, & dæmonio agitari esse malum, vt contrà bonum, iis liberari, Præterea Apostoli dona curationum & operationes virtutum perficientes, ipsa actione bona hominibus præstabant, & à malis eos liberabant. Transibunt etiam, qui ista tradunt, ad futurum æuum, atque asserent malum esse laborem, id est, peccatores æterno igne mulctari. Quòd si malus est labor, necessariò voluptas est bonum. Hæc sunt, quæ vehementius possunt flectere simplices, qui adducta testimonia de tribus bonorum & malorum generibus, iuxta Scripturarum sermones, nequeant dissoluere. Hoc verò errore non modò fidelium ij, qui citra dubitationem sunt integri, falluntur, verumetiam nonnulli, qui sapientiæ Christianæ opinionem sibi pepererunt, dum opificis summi tales aliquas esse promissiones, & vltra expressas verbis comminationes nihil significari præterea existimant. Igitur ab omnibus, qui ista è Scripturis colligunt, quærendum est, an Prophetæ, quorum peccata non arguuntur, legem seruauerint. Verbi gratia, Elias pauperrimus, vt ne panem quidē apud se habuerit proindeque sit missus ad Sareptanā Sidoniæ, & Elisæus, qui apud Sumanitidem valde exiguum habuit diuersorium, & lectulum, & candelabrum vile, qui & infirmatus obiit: Et Esaias deambulans nudus & discalceatus per tres annos, & Hieremias coniectus in

Promissiones Christi non esse temporales.

B luti lacum, semper subsannatus, vt & in solitudine versari optaret, & Ioannes in desertis commorans, nihilque præter locustas & agreste mel sumens, pelle succingens lumbos, séque pilis camelorum induens: Confitebuntur enim illos legem obseruasse. At requirens, quænam sentiunt bona his legis obseruatores fuisse tributa? Cùm non possint ostendere, ad id adigentur, falsas esse promissiones, quas concessas aiunt piis, aut, si veræ sint, anagogica egere interpretatione. Quòd si ad allegoriam coacti venerint, damnabunt suam sententiam: quòd lex ægritudinem corpoream, & externa, quæ existimantur, mala impiè viuentibus comminetur, aut sanitatem corporum & abundantiam Dei sectatoribus polliceatur. Præterea quomodo non fatuum esset de malis magnificè sentire & gloriari eos, qui in illis versantur? Si enim malæ sunt afflictiones, Apostolus verò ait se gloriari afflictionibus, perspicuè malis gloriatur. Quòd si Apostolus minimè est stultus, certè eiusmodi Sancti exercitia non sunt mala, qui omnibus in rebus afflictus, non angustatur, fatigatus non deficit, tentatus non morte conficitur, pauper habitus multos ditat, & nihil habere existimatus omnia possidet. Nam qui credit, totum pecuniarum mundum possidet: qui non credit, vel obolo caret. Præterea ad eorum sententiam, qui secundum Scripturam censent tria esse bonorum genera, similiter & malorum, sequitur iustos semper

C in multis malis versari, vera cùm affirmet Prophetia, dicens, Multæ tribulationes iustorum. Sed nec qui hæc
» mala esse opinantur, debent ea, quæ Sancto Iob acciderunt, recolere, vt oraculum, postquàm ille fortissimè propositos agones sustinuisset, ait, Putásne me alio fine tibi per oraculum apparuisse, quàm vt declarareris iustus? Nam si non aliter declaratus est iustus Iob, quàm quòd huiusmodi aliqua infortunia ipsi contigerunt, quo pacto mala attulisse dicemus causam, cur ipsius iustitia manifestaretur?

His etiam est consequens, ne quidem diabolum Sancto fuisse malum. Nempè non erat ipsi Iob malus diabolus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonū iis, qui secundum propositum vocati sunt. Præterea perspicuum est iustum benedictionibus, & bonorum quæ Scripturis putantur celebrata, & literæ cortice exprimuntur, promissionibus non potiri. Nam quæ de Sancto Iob narrantur plurima, eiusmodi intelligentiæ aduersantur. Præterea stultum est existimare Sanctum debere

Deut. 17.

» fœnerari, multarum gentium mensas oppidatim aperi-
» re, se occupare in dando & accipiendo, prohibitáque ne-
» gotia exercere. Argentum enim suum non dedit ad vsuram, & munera super innocentes non accepit. Qui facit D hæc, non mouebitur in æternum. Et iuxta Ezechielem, Sanctus fœnori & vsuræ non dedit argentum. Præterea febrem existimare propter peccata nasci, imperitorum supra modum est sententia, cùm causæ huiusce morbi sint magna ex parte perspicuæ, aut propter aërem, aut propter aquas, aut propter certos cibos. Ac si præmia iustorum sunt sanitas, & diuitiæ, nullum oportebat impiorum valere, nullum esse diuitem. Quare sanitatem talem, quæ animæ sit valetudo, quæramus oportet. Similiter & diuitias, quæ iuxta Salomonem animi sint redemptio.

Ezec. 18.

Redemptio (inquit) viri animæ propriæ diuitiæ: fu- “
gienda autem paupertas, de qua scribitur, Mendicus non “
sustinet minas. Item vulnera, & liuores, & morbi designant ea, quæ animis segnescentibus ex prauitate agnascuntur: de quibus Propheta, homines talibus affectos reprehendens, dicit, A pedibus vsque ad caput non est vulnus, neque liuor, neque plaga tumens. Non licet malagma imponere, neque oleum, neque colligationē. Atque hæc quidem sufficiunt valde etiam negligentibus, vt sibimetipsis ista colligentes, dicta Scripturarum in diuersum inclinantia, digno actionis Spiritus sancti intellectui applicent. Porrò vt opinantes hæc esse bona, quæ Sanctis tribuentur, & mala, quæ peccatoribus, taceant, etiam ista addenda sunt: Quicquid est propter aliquid, eo minus est, cuius causa esse dicitur: vt sectiones, & cauteria, & vulnerum alligationes propter valetudinem assumptæ, minora sunt valetudine. Et vt in medicis præsidiis ista dicantur bona, at non sunt extrema Medicinæ bona, sed tantùm media, & causæ. Extremum enim in Medicina bonum est corporis valetudo. Sic igitur, si præcepta obseruanda sunt ob bonorum istorum adeptionem, ac præmia sunt corporalia, & externa, bonæ actiones erunt, non bonæ ratione finis vltimi, sed certè tanquam bonorum effectrices, & diuitiæ, quas opinantur: Scripturam promittere, & corporis valetudo iustitiam antecellent, & sanctitatem, & pietatem, & diuinum cultum tāta támque præstantia humanæ conditionis bona, vt ea amplecti hominum sit, qui etiam dignitatem virtutis non intelligunt, sed materialia & crassa ei præponunt. Omnium quippè absurdissimè dicitur, hominum perfectis bonis excellere diuitias, & corporis valetudinem. Quare propter istiusmodi flagitiosas sententias, consequenter quidam admiserunt, etiam post resurrectionem in primis numerari promissionibus, quòd esculentis & poculentis simus vsuri, & iuxta alios, liberos procreaturi. Hęc verò relata ad gentilitij cultus professores, magnam stultitiæ opinionem afferent Christianismo, cùm multo præstantiora habeant dogmata quidem à fide prorsus alieni. Nos ergo quid nobis videtur, è sacrorum oraculorum disquisitione iam proponemus. Nam dicebamus nobis probari, quòd dicunt bona & mala in eligendis & non eligendis versari: Nec tamen numerabamus inter bona nō cadentia sub electionē, sanitatem, pulchritudinem, nobilitatem, gloriam, diuitias: quin & pro viribus discrepantia breuiter conati sumus dissoluere. Iam igitur quæ sint bona non cadentia sub consilium & electionem, differendum. Quoniam verum est il- “
lud Psalmi, Nisi Dominus ædificauerit domum, frustrà la- “
borauerunt, qui ædificant eam: & nisi Dominus custodie- “
rit ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam. Aedificat autem domum, quicunque proficit, & custodit ciuitatem, quicunque est perfectus. Vanúmque est opus ædificantis, & vana custodia seruantis, nisi Dominus ædificauerit, & nisi Dominus custodierit, sane Domini potentia, quæ sibi ædificationem ædificātis assumit & vendicat, & simul cum non valente per se ædificationem perficere, ædificat, bonum erit extra electionem nostram positum. Idem de custodiente ciuitatem sentiendum. Ac quemadmodum si dicerē agriculturæ bonum fructum proferens, consilio & voluntate artis agricolæ, & prouidentia consilium humanum superante constare, quæ aëris temperiem, & idoneæ pluuiæ fluxum suppeditat: sic hominis ratione vtentis bonum constat voluntate ipsius, &

Esa. 1.

E

et leg. non oi.

F

G Dei virtute simul eligentem præstantissima mouente & inspirante. Non solùm igitur ad bene præclaréque agendum necessaria est nostra voluntas & diuina inspiratio, quæ quidem quantum ad nos inuoluntaria est, verumetiam, Dei gratia, vt præclarum lapsi, atque ad eò perfecti factum, siquidem ob præclaram actionem superbierit, sibíque eius causam & gloriam arrogauerit, non Deo, qui multo plus contulit, ad virtutem tum acquirendam, tum conseruandam, in virtute permaneat. Talem esse causam illius immaculati arbitror, qui apud Ezechielem ambulasse fertur in cunctis ipsius viis, Donec in eo inueniretur iniquitas, qui secundum Esaiam de cœlo decidit, Lucifer olim factus, manè exoriens, posteà contritus super terram. Non modò enim verum in hominum filiis, vbi aliquis perfectionem fuerit consecutus, siue Dei sapientia nihil esse operæpretium, verumetiam in angelico ordine & principali, omni denique natura, quæ eatenus diuina existit, quatenus Deus adest. Fortassè igitur, cernens sacer Apostolus nostram voluntatem multo esse minorem Dei virtute ad bona acquirenda, tandem concludit, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.

Gratia preueniēs. *Gratia comitans.* *Ezech. 18 & 34.* *Esaie. 14*

Non quòd sine voluntate & concursu nostro misereatur Deus, sed quia nihil est nostra voluntas & cursus, Dei misericordiæ comparatione. Vt proinde bonum conuenientius Dei misericordiæ, quàm humanæ voluntati & cursui tribuatur. H Hæc prolixiore discursu disseruimus, persuasi esse necessaria ad istud, Multi dicunt, quis ostendit nobis bona. Nam prout poterat, oratio, multis dicentibus, Quis ostendet nobis bona, patefecit & declarauit quænam essent bona, & vicissim quænam mala, vt spiritualibus exercitiis & precibus bona comparemus, & mala ab animis nostris auertamus. Quoniam verò in eloquendo interdum propriè loquimur, interdum etiam per abusionem vocabulorum, non mirum si aliquando bonorum & malorum denominationem rebus corporalibus & externis attributam apud eos, qui non sanas habent sententias, reperiamus. Exempli gratia, in Iob, Si bona accepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? Et in Hieremia, Descenderunt mala à Domino in portas Hierusalem. Fuerat enim dicendum, Si eiusmodi vtilia & iucunda accepimus à Dei erga nos prouidentia, amara & laboriosa non parato animo feremus? Et, Prouidenter hæc ipsi Hierusalem ad corrigendos habitatores contigerunt. Intellectis igitur rebus, nos non oportet esse malignos circa vocabula, sed animaduertere, quãdo propriè de rebus proponuntur, quando per abusionem, quadam nominum penuria. Quòd si Saluator aliquos sanauit reddita valetudine, aspectu, auditu, præcipuè eorum anagoge obseruanda est, cùm oratio animi affectus per istas historias declaret. Non est tamen absurdum, si secundum historiam expressa facta esse ad percellendos illius ætatis homines intelligamus, vt qui verbis non persuadebantur demonstratiuis, & ad docendum efficacibus, flexi prodigiosis virtutibus, docenti assentirentur.

ὑπὲρ lego, non εἴπερ.

I

IN ILLVD, OBDVRAVIT Dominus cor Pharaonis.

CAP. XXVII.

INDVRAVIT Dominus cor Pharaonis, & nolebat dimittere ipsos. Istud sæpius in Exodo positum, Indurauit Dominus cor Pharaonis: & Ego indurabo cor Pharaonis: propemodum omnes audientes, siue dictis fidem addant, siue demant, magnoperè perturbat. Nam infidelibus cũ multis etiam istud infidelitas causa esse videtur, quoniam de Deo indigna Deo affirmantur. Indignum quippè Deo, indurationem in cuiuslibet corde operari, atque efficere obdurationem, vt iudutatus indurantis voluntati nõ credat. Quanam verò ratione non absurdum, Deum aliqua efficere, quorum causa non credatur ipsius voluntati, vt qui nolit Pharaonem credere iis quæ ipse imperat? His verò qui credere existimantur, non uulgaris dissonantia ingeneratur propter istam induraudi formulam. K

Nam qui persuasi sunt non alium esse Deum, præter opificem, Deum sortitò, quem velit, misericordia prosequi, quem velit, indurare sentiunt, nulla ratione cur illius misereatur, hunc induret. Alij rectiùs sentiẽtes, aiunt multas etiam alias Scripturæ sententias sibi esse occultas, neque circa id sanam fidem verti, ac istum sanum sermonem vnum esse è Scripturis arcanis atque abstrusis. Alij alium Deum prædicantes præter opificem, iustum quidem eum esse volunt, at non bonum, valde imperitè simul & impiè affecti, dum iustitiam à bonitate separant, & bonitatem sine iustitia contemplantur. Quin & istud professi, priuatis sensis contraria de iusto Deo concedunt, indurare cor Pharaonis, & incredulum sibi ipsi efficere. Nam si qui pro meritis vnicuique tribuit, iustus est, quique sua causa & merito melioribus aut deterioribus ea reddit, quæ singulis iustè deberi intelligit, quo pacto iustus erit, qui deterioris peccati Pharaoni auctor & causa extitit, nec tamen modò causa, verumetiam, quantum ad ea quæ isti admittunt, cooperator, vt ipse fieret iniustissimus? Ad nullam enim rem voluntate iusti Dei dignam referentes indurationem cordis Pharaonis, haud scio, qui iustum Deũ, etiam quatenus volunt exponere, statuere possint eum, qui Pharaonis cor indurat. Vrgendi igitur sunt verbis ad propositum locum pertinentibus, vel vt constituant, quomodo iustus induret, vel vt audeant dicere, hoc ipso, quod induret, prauum esse opificem: vel si carent demonstrationibus, quibus doceant iustum in aliquo indurationem efficere, neque audent eò procedere, vt conditorem prauũ confiteantur, ad aliam viam confugiant, quæ illud indurauit cor Pharaonis explicet, reiectis de iusto Deo priuatis notionibus, quas è falsa dictionum intelligentia concipiunt. Istud autem postremum, etiamsi dubitare aliquando oratio prætenderit, confitebuntur. Atque hæc quidem de Deo in præsenti quæstione vestigata agitatáque sint. Porrò quoniam qui existimant aliquos ab origine ad perniciem esse factos, ad locum de natura etiam ista referunt, ac prædicant suam doctrinam eo declarari, quòd scribitur cor Pharaonis à Domino induratũ, age de istis ipsos percontemur. Qui ad perniciem conditus est, nunquam quicquam præstans poterit efficere, cùm ipsa insita natura ipsi, dum ad præclara contendit, contrà enitatur. Quid igitur opus Pharaonem perditionis, vt prædicatis, filium natum indurari à Deo, ne dimittat populum? Nisi enim fuisset induratus, dimisisset. Respondeant igitur, quid fecisset Pharao, si non fuisset induratus? Nam si non induratus dimisisset, non erat naturæ perditæ: si non dimisisset, ipsius cor indurare erat superuacaneum. Nam proinde non induratus, non erat dimissurus. Quid verò Deus operans circa eius mentem, animi partem præcipuam, ipsum indurabat? Quo pacto ipsum accusat, Quia non credis mihi, ecce ego interficiam primogenita tua? Et sciet omnes Aegyptij quòd ego sum Dominus. Quasi propterea res, quæ existimantur aduersæ, ipsis sint inductę, vt Deum cognoscerent. Præterea in Machabæorum libris tale aliquid memoratur: Obsecro, quotquot in hunc librum incideritis, nolite calamitatibus frangi, sed existimate, quæ contingunt, non ad exitiũ, sed ad generis nostri instructionem existere. Nam non diu relinqui impios, sed statim subiici pœnis debitis, magnæ beneficentiæ est signum. Non enim in nos se gerit Dominus, quemadmodum in gentes, quibus iram suam differt, vt dilatis peccatis tandem aliquando ipsas æternis suppliciis mactet: sed erudiens afflictionibus, suum populũ non deserit. Si enim incidere in supplicia propter peccata, magnæ beneficẽtiæ est signũ, mulctatus etiã Pharao, postquã cor habuit induratũ, vnà cũ suo populo, vide an nõ frustrà pœnas luerit, aut suo malo. Cuius exempli imitator factus Dauid, prout temporibus congruebat, Salomoni præcipit, vt Ioab ob ipsius in Abner filiũ nec peccata suppliciis afficiat, ac propter facinora mactet. Deinde subiungit, Et deduces canitiem eius in pace ad inferos. Nempè, vt etiam Hebræus

L M

3. Reg. 2. vbi tamẽ negatio, Non dedu ces.

A Hebræus nobis narrauit, quoniam puniendus erat Ioab, in pace erat dormiturus, supplicio & cruciatu non ipsi amplius debito post obitum, quòd eo hic iam fuerit affectus. Porro sic omnem comminationem conceptam sacris literis, & scripturas ipsas, à magnifica efficientia & ordine operum Dei, qui visibilia, temporaria & æterna creauit, quippè cùm vnum idem sit omninò cum Patre dominus & Saluator noster, bono & iusto & sapiente, ad hunc scopum dirigere contendimus, vt vniuersa boni Dei, & sapientis & iusti esse ostendamus. In quo nullo quidem modo à mente præditis labi existimabimur: sed tamen, vt quę scribuntur, bonitati Dei & iustitię & sapientiæ rectè aptētur, Deo Saluatore egemus. Talia igitur de hoc dicto, indurauit Dominus cor Pharaonis, cogitamus. Medicus est animi Dei verbum, viis ad sanitatem vtens diuersissimis & accommodatis, & maximè opportunis iis, qui malè sunt affecti. Viarum autem ad sanitatem pertinentium aliæ pręstantiores sunt, aliæ minus præstantes, quæ secundum magis & minus dolores atque cruciatus iis qui curantur, inferunt. Rursum remedia modò obscura sunt & incerta, modò alterius rationis. Præterea celerius curant, aut tardius: interdùm post satietatem peccandi, interdum post solum peccati, vt sic loquar, tactum.

Testimoniorum de singulis plena est vniuersa diuina Scriptura, acriores leuiorésve curationes afferens, atque B describens quæ populo pro correctione & conuersione in præliis grauioribus vel leuioribus, & fame diuturniore vel breuiore contigerunt. De obscuris, cùm ait, Non visitabo super filias vestras, quando fuerint scortatæ, & super sponsas vestras, cùm fuerint mœchatæ, Fortasse enim animas corporalia & opinione mortalium Dulcia nimis appetentes, sibimetipsis deserit, donec satiatæ auersentur & fastidiant quæ concupiuerunt, ipsa veluti volentes euomere, neque deinceps celeriter in eadem incidant, tanquam nimis exaturatæ, & vsqueadeò cruciatæ. Tardius autem ad sanitatem perducuntur, quæ secundò in eadem recidere quodam contemptu non dubitarunt, quod celerius malis fuissent liberatæ. Nouit certè Deus opifex animi cuiusque mores, qui solus, vt cuique conducit, sapienter potest curationes adhibere, quid oporret & quando, singulis facere. Ac quemadmodum in quibusdam corporalibus ægritudinibus, malo in profundum, vt sic dicam, peruadente, medicus in apertum, quibusdam pharmacis adducit & attrahit materiam, graues inflammationes & tumores, & plurimos dolores inducens, qui omninò priùs quàm sanitas recuperetur sint tolerandi, vt solet facere in iis, quos canes rabidi momorderunt, & quibusdam aliis similia patientibus: Sic & Deus, opinor, dispensat occultam malitiam, in animę profundum penetrantem. Et quemadmodum medicus de aliquo affecto, inflammationes (inquit) inducam circa hunc languētem locum, & has partes tumore vexa- C bo, vt graue apostema existat. Quę cùm loquitur medicus, non vituperatur ab eo, qui illum suæ artis peritum intelligit, sed laudatur, quamuis ista comminatus perficiat: & si fortasse alius prædicet alienum à medica promissione facere, cùm per inflammationes & apostemata sanitatem, vt par est, restituit. Ad hunc opinor, modum Deus pronuntiauit, Ego indurabo cor Pharaonis. Atque ista qui audit, tanquam Dei oracula, dicentis dignitatem obseruans atque perscrutans, reperit etiam in his Dei bonitatem commendari, euidentius quidem erga populi salutem ad fidem per multa miracula adducti, deinde Aegyptiorum, qui rebus gestis obstupefacti, sequuturi erant Hebræos. Promiscuus enim (inquit) populus multus Aegyptiorum simul cum ipsis exiit. Denique secretius & profundius fortasse ob vtilitatem, quæ in ipsum redundauit Pharaonem, non iam amplius mores continentem, neque suum virus occultantem, sed foras trahētem, & in apertum promentem, ac fortasse agendo dissoluentem, vt vniuersas adhæresceris prauitatis reliquias absoluens, remissum postea haberet aculeum ad mala incitantem, & fortasse ad extremum arescentem, quando submergebatur, non vt,

κέντρον lego, non δένδρον.

quemadmodum aliquis existimauerit, planè periret, sed D peccata abiiciens releuaretur, & fortassis in pace à tanto animi bello in infernum descenderet. At meritò fortasse grauiter ferent lectores, violentum arbitrati, quod dicimus Pharaoni fuisse vtile, indurati corde, & pro eo cuncta extitisse, quæ vsque ad submersionem conscribuntur. Sed vide an valeamus, sublata credendi difficultate, persuasionem eorum quæ dicta sunt, inducere. *Paradoxum Origeniacū.* Multa flagella (inquit Dauid) peccatoris. Filius præterea ipsius docet Deū flagellare omnem filium quem suscipit. Præterea ipse Dauid promissionem de Christo factam vaticinans, atque de iis qui in ipsum crediderunt: Si dereliquerint (inquit) filij ipsius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, si iustificationes meas profanauerint, & mandata mea non seruauerint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus iniustitias. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Igitur Dei est gratia iniquum visitari virga, & peccatorem verberibus. Et quamdiu peccans non flagellatur, eruditioni & castigationi nō subiicitur. Proinde minitatur Deus, si magna fuerint peccata Iudæorum, se non visitaturum super ipsorum filias, quando fuerint scortatæ, & super sponsas eorum, quando fuerint adulterio pollutæ. Alibi etiam dicit, Quoniam mundaui te, & non es mundata, non irascar super te amplius, neque zelabor super te deinceps. Obseruandum præterea comminationes propheticas magna ex parte sic concludi, Scient quia ego sum Dominus: quod comminatur non modò Israëli- E tis, verum etiam Aegyptiis & Assyriis, & aliis populi hostibus. Atque hoc etiam ad extremum multarum, quæ existimantur, comminationem in Exodo scribitur. An verò indurans rem duram indurat? Res dura non induratur, sed à mollitie durities in duritiem conuertitur. Mollities auautem cordis iuxta Scripturam laudabilis, vt vbique obseruauimus. Dicant igitur, si cùm esset bonus Pharao, factus est improbus, maximè cùm Deus incuset Pharaonem, an frustra incuset, néc ne. Si frustrà incusat, quo pacto adhuc sapiens & iustus habebitur? Præterea si frustrà incusat, causa erat peccatorum, quæ per infidelitatem admisit Pharao. Atque ita ille non erat sua natura & origine perditus. Credendum ergo istud, propterea quòd Apostolus verbis inde sumptis vsus, igitur (inquit) cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Dices igitur mihi, Quid adhuc reprehenditur? Nam voluntati eius quis resistit? Quis iste indurans, quis miserens? *Rom.9.* Non enim alterius est indurare, & alterius misereri, iuxta vocem Apostolicam, sed eiusdem. Aut ergo in Deo misericordiam consecuti eius sunt, qui cor Pharaonis indurauit, frustráque ab ipsis fingitur alius Deus, aut bonus ipsorum sententia Deus, non modò est misericors, verumetiam indurator, nec iam erit, vt existimant, bonus. *Contra Marcionistas.* Hæc autem omnia appositè pluribus vestigauimus aduersus eos, qui imperitè sibi intelligentiam tribuunt, & insiliunt in nostrorum dogmatum simplicita- F tem, instantes atque docentes, verbum in pręsenti vestigatum, neque ipsis conferre ad ea quæ putant de Deo, neque ad ea quæ statuunt de natura perdita. Nos enim multis è locis persuasi, & labores, & vltionem à Deo numquā contra patientes, sed pro ipsis semper immitti existimamus. Quocirca furor & ira, nominum quæ Deo attribui existimantur grauissima, arguere & corripere pronuntiantur hoc Psalmi loco, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Psal.6.* Vbi qui ista precatur, ne sibi sit opus argui Dei furore, aut ira ipsius erudiri supplicat: quasi aliqui furore Dei arguantur, & ira ipsius erudiantur. Vt autem citius iam dicta recipiamus, etiam è nouo Testamento similibus sententiis vtendum est, Domino Saluatore dicente, ignem veni mittere in terram. Vtinam autem ardeat, nisi salutaris esset hominibus ille ignis, quem venit in terram missum, numquam ista dixisset boni Dei filius. *Matth.5*

Sed & Petrus verbo tollens Ananiam & Sapphiram, qui mentiendo non hominibus, sed Domino peccarant, non tantū de ædificatione eorū, qui illo opere conspecto futuri *Act.5.*

G erant religiosiores in Christi fide, verumetiam de morientibus fuit sollicitus, cupiens eos repentina morte expiatos, & præter expectationem laxari corpore, habentes aliquid iustitiæ: quandoquidem dimidium facultatum suarum in indigentiam, vsum & necessitatem dederant. Præterea Paulus cum Proconsule Sergio Magum verbo cæcans, per labores & ærumnas ad pietatem conuertit, dicens, Plene omni dolo & omni fabricie fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desines vias Domini rectas peruertere? Et nunc eris cæcus, nō videns solem vsque ad tempus. Quale tempus? Certè illud, quo perculsus & cruciatus propter peccata, mutato per pœnitentiam animo, dignus videndi vtroque modo solem erat efficiendus: & corpore, vt diuina potentia, oculorum externorum restitutione, enuntiaretur: & animo, quando *1.Tim. 1.* credens, pietatem sibi erat habiturus. Quinetiam Demas & Hermogenes, quos Satanæ tradidit, vt discerent non blasphemare, tale aliquid ac superiores, sustinuerunt: & qui Corinthi, Patris vxorem habuit, etiam ipse Satanæ traditur in interitum carnis, vt spiritus in die Domini *1.Cor. 5.* saluetur. Non igitur admirandum, si quæ spectant ad Pharaonem induratum, & tandem tot talibusque suppliciis mactatum, à Dei bonitate dispensantur. Atque hæc à nobis in præsens, vt fit, de dicto, indurauit Dominus cor Pharaonis, disputata sint. Si quis pietatem erga Deum seruans, meliora, nullaque ratione impietatem attingentia H inuenerit, testimoniis diuinarum Scripturarum adhibitis, illis potius fruamur, oportet.

Et in aliis, de eodem.

QVEMADMODVM medici hominum à rabido cane morsorum virus extrahantes in apertum, ne intus depascens hominem corumpat, grauiores reddunt corporum habitudines & tumores: sic Deus reconditam & inclusam in intimis animæ malitiam sua medendi arte attrahit foràs, quò patentem & euidentiorem eam efficiat, vt posteà futuram inducat sanitatem. Quò pertinere arbitror Deuteronomij verba, ad *Deut. 8.* hunc modum habentia: Et recorderis vniuersæ viæ, per quam duxit te Dominus Deus tuus his quadraginta annis in deserto, vt malè faceret tibi. & tentaret te, & cognosceretur quæ habebas in corde tuo: An obseruares mandata eius, nécne. Et malis affecit te, & fame, pauitque te Manna quod ignorabas tu, & nescierunt Patres tui, vt nuntiaretur tibi, quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Obserua in iis Deum malè afficere, & tentare, vt cognoscantur quæ in cuiusque corde insunt: velut in profundo posita, & in propatulum per mala & afflictiones venientia. Tale est, quod in libro Iob, I à Domino per turbinem & nubes ad ipsum Iob pronuntiatur: An me putas tibi aliter oraculo apparere, quàm vt iustus appareas? Non enim (inquit) vt iustus sis, sed vt iustus appareas, cùm talis etiam esses ante tentationes, sed appareas in iis casibus & euentis.

Rursum in alio tomo, in iisdem in Exodum Commentariis.

DICEBAT aliquis sociorum nostrorum, quæstionem verbis leniens, sæpè benignos Dominos, qui nimis patienti animo seruos peccantes sustinent, dicere solitos, Ego te perdidi: Te ego prauum feci: hac formula ostendentes, suam benignitatem, & animi patientiam videri attulisse occasionem maioris improbitatis. Quemadmodum igitur potest aliquis affirmare hæc dicta, calumnians Dominum esse confessum se seruum improbum reddidisse: sic Dei bonitas, occasio effecta indurati Pharaonis, indurasse scribitur Pharaonis cor. Sed sic nos ex dictis Apostolicis consolari possumus. An diuitias benignitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? At propter duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas K tibi irā in die iræ, & reuelationis, & iustitiæ Dei, qui reddet vnicuique secundum opera ipsius. Idem præterea Apostolus epistola ad Romanos: *Rom. 9.* Quòd si Deus (inquit) volens ostendere iram, & patefacere patientiam suam, tulit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum: quasi ipsius patientia iræ vasa tulerit, & propemodum fecerit. Si enim quoniam longanimis fuit, peccantes nequaquam puniens, sed misericordia afficiens, vasa illa redundarunt, ipse quodammodò sua longanimitate & patientia vasa iræ tulit, &, vt sic dicam, ipse vasa irę omnia fecit, atque ea ratione cor eorum indurauit. Quoniam enim tot signis & prodigiis patratis non persuadetur Pharao, sed post eiusmodi resistit, quo pacto non durior & magis infidelis conuincitur, ita vt durities & infidelitas è prodigiis exoriri potuisse videatur? Simile est illud Euangelij, In iudicium ego in mundum hunc veni. Non enim proposuerat Saluator in iudicium venire: sed quadam consequentia factum est, vt qui venerat, veniret in iudicium, dum post miracula ipse minimè crediderunt. *Luc. 2.* Quinetiam in ruinam venit: atque ita post alia prodigia edita, iis quidem, qui eum susceperunt & crediderunt, vt apud promiscuos Aegyptios, iis qui populo cohæserant, misericordia fuit, at non credentibus duritiam cordis attulit. Rursum ex Euangelio præter memorata, licet alia similia proponere, quibus Saluator malorum auctor extitisse videatur: Vę tibi Chorozaim, vę tibi Bethsaida. Quoniam si in Tyro & Sidone facta essent signa quę L in vobis, olim in sacco & cinere sedissent, & pœnitentiam egissent: veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit quàm vobis. & cæt. Præscius enim Deus cùm esset, infidelitatis Chorozainorum, & Bethsaïdarum, & Capharnaitarum, item quòd remissius erit Sodomitis in die iudicij, quàm illis, cur prodigia in Chorozaim & Bethsaida efficiebat, cernens præsertim, eorum causa in die iudicij fore Sidoniis & Tyriis quàm istis remissius? *Et post alia:* Tu *Exod. 4.* dices Pharaoni, hæc dicit Dominus, filius primogenitus meus Israel. Dixi autem tibi, dimitte populum meum, vt me adorent. Quòd si nolueris eum emittere, certè ego filium tuum primogenitum interficiam. Dicendum igitur affirmantibus hæc iusti esse Dei, & ex externa locutione existimātibus induratum fuisse Pharaonis cor, quomodo iustus, qui cor tegis indurauit, ne populum suum dimitteret, & est comminatus, nisi dimitteret, se primogenitum eius interfecturum? *Contra Marcionistas.* Pressi enim prauum ipsum fatebuntur: Deinde rursum ab aliis euertentur, cogentur externæ locutioni non seruire, quæ iuxta ipsos iustitiam opificis seruare & retinere non potest. Quod si semel cogantur violenter ista quærere, eò adducentur, ne iam amplius opificem accusent, sed bonum prædicent. Ob eam causam interrogandi, qui se intelligere existimant, indurauit Dominus Deus Pharaonis cor, an verè ista à Deo dici credant, M per Mosem numine afflatum, an falsò. Nam si falsò, nequidem iustus iuxta ipsos Deus erit, neque verus, neque, quantum in istis, Deus. Quòd si verè, cogitent an non vt liberæ voluntatis hominem accuset, dicens, Si autem nolueris dimittere eum. Et alibi, Quousque non vis reuereri me, flectendi causa dicitur ad Pharaonem, qui Deum non verebatur, non quidem quia non posset, sed quia nollet. Illud autem Mosis ad Pharaonem, vt noris, quoniam Domini est terra, & tu, & serui tui: Scio, quia numquam timuistis Dominum: declarat, quòd essent Dominum verituri, aduersum hæreticos, qui Dei bonitatem minuunt. & naturam perditam statuunt.

Rursum è secundo Commentariorum tomo in Canticum Canticorum.

ATtende etiam his, Sol albus & splendidus cùm sit, causam atque principium denigrandi habere videtur, nō quidē in se sed in eo, vt diximus, qui nigrore tingitur. Sic sanè Deus nunquam cor

Pharao-

A Pharaonis indurat, cùm eius rei causa apud ipsum extiterit, discruciantem Hebræorum vitam duris operibus, luto & latere, & similibus aliis, quæ non in mortibus & tumulis, sed in campestribus efficiuntur. Qui enim materiæ sua improbitate immergitur, & secundum carnem per omnia viuit, luti amicus cùm sit, vult etiam Hebræos lutum conficere, præcipuam animi sui partem non habens puram à luto, quæ vt lutum à sole induratur, sic à radiis Dei Israëlem inspectantibus est indurata. Hæc sic se habere hoc loco, nec Mosem historiam leuem proposuisse scribere, animaduertenti est perspicuum: quoniam cùm suspirarunt filij Israël, non propter lateres, neque propter lutum, neque propter paleas suspirarunt, sed ab operibus, siue propter opera, tumque ascendit clamor eorum ad Deum, non de luto, sed rursum de operibus. Proinde etiam Dominus eorum suspiria exaudiuit, non quidem exaudito ab operibus, sed à luto & terrestribus operibus, clamantium suspirio. D

Finis Philocaliæ.

DEO LAVS, HONOR, ET GLORIA.

B

PHILOCALIÆ INTERPRES BENEVOLO LECTORI. E

CVM Rhemos venissem anno superiore ad decimum tertium Calendas Octobris, nihil mihi potius fuit quàm vt conuenirem Gentianum Heruetum virum mihi reique literariæ multis de causis amicissimum. Cúmque meum de Origene consilium cum eo communicassem non modò probauit, verùm etiam statim, ad illud exornandum, collationem Iulij Africani & Origenis Græcè ad se ab Illust. Cardinali Sirleto Roma missam & à se Latinè Rhemis versam propensissima voluntate tradidit. Statueram quidem vnum eius breuiculum è libro quinto Bibliothecæ sexti Senensis, qui sicut apparet, integram viderat, vt minus operum Origenis desideraretur, huic æditioni adiungere. Sed quoniam disputationem plenam & solidam nobis noster Heruetus exhibuit, vtriusque exemplum infrà positum accipies, Vale & fruere.

ET ERAT VIR, HABITANS in Babilonis, & nomen eius Ioachim.

DAN. XIII.

Iulius Africanus, cum de veritate historiæ Susannæ dubitaret, Origenem breui consuluit epistola: qua Octo coniecturas, sibi suspitionem falsitatis inferentes, strictissime amplexus est. Exemplum epistolæ sic habet.

C

Salue ab Africano domine mi, & fili, & omnium honoratissimè Origenes.

SACRAM cum haberes disputationem cũ amico illo tuo, faceresque mentionem prophetiæ, habitæ à Daniele in iuuentute, sum id tum temporis, vt decebat, amplexus.

1. Admiror verò quô nam te fugerit pacto partem hanc libri esse adulterinam. Hoc enim libri segmẽtum aliter quidem est opusculum gratum, sed tamen opusculũ, quod multis ostenditur, & conuincitur modis Neotericum esse, & Græcè à Græco authore confictum.

2. Primum quidem, quia vt mori iussa fuit Susanna, Spiritu correptus propheta clamauit iniustè prolatam fuisse sententiam. Et Daniel alio prophetat modo per omne tẽpus, nempe visionibus, & somniis, & Angeli apparitione, non autem aspiratione prophetica.

3. Deinde posteaquam adeò admirabiliter esset locutus, eo vtitur ad populum & senes confutationis genere, quod lógé esset à communi expectatione remotissimum, & quo neque Philistion ille mimus vsus fuisset. quippe qui nõ cõtentus obiurgatione, pro spirituũ effectu, ab altero vtrũque separatim interrogat seorsum, quonam in loco eam vidisset adulterium committẽtem. Vt autem alter sub prino dixisset, respondit futurum, vt Angelus ipsum secet: similiter scissionem minitans alteri, qui sub schino eam se vidisse respondeat.

4. In vocibus etenim græcis talia eundem habent sonum Παρὰ τὴν πρίνον πρίσαι, & παρὰ τὴν σχίνον σχίσαι. In lingua verò Hebraica diuersum habẽt omnino sonum, porrò ex Hebreis translata sunt ad Græcos, quæcumque feruntur veteris testamenti.

5. Præterea quonam pacto cum apud Chaldæos captiui essent in Babylone, & iugulati proiicerentur in plateas insepulti, vt in prima captiuitate Israëlis narrant historiæ, ab ipsisque auellerentur filij vt eunuchi, & filiæ vt pallaces fierent, vt prophetæ prædixerant, hi de morte ferunt iudiciũ? F

6 Et quod magis mirere aduersus coniugem Ioachim regis ipsorum, quem sibi assessorem fecerat rex Babyloniorum? sin verò non est hic Ioachim, sed alter quispiam ex populo: vnde hoc domicilium captiuo aderat? vnde illi hortus spaciosus?

7. Ante vero hęc omnia hęc libri huius particula cum aliis duabus particulis, quæ sunt in Danielis fine, Danieli, qui recipitur ab Hæbreis, non est similis: quin etiam locutionis character discrepat.

8. His vero omnibus adiiciatur, cum tot præcesserint prophetæ, nullum deinceps vsum fuisse testimonio alterius. quippe cum sermo ipsorum verax nõ aliunde mendicauerit. Hic autem alteri illorum minitans, Domini meminit dicentis, innocentem & iustum nõ interficias. Ex his omnibus arbitror ego additum fuisse hoc libri segmentum. Ego pulsaui: tu rescribẽs erudi. Dominos meos omnes saluta. Te quoque docti salutant omnes: & ego te valere vnà cum tuo comitatu, idquè ex animo precor.

4. Reg. 25 Beli & draconis historias intelligit. Exod. 23.

Ad hanc epistolam Origenes docta atque magnifica respondit epistola: quam cum propter eius prolixitatem non deceat in hunc infulcire locũ, solutiones duntaxat argumentorũ Africani summatim ex ea collectas annotabo.

Primum, quod ait Susannæ opusculum nec legitimum esse, nec Hebraicè scriptum, sed Græcè, & a neoterico scriptore, incertum sanè habetur: & magis credibile fuerit il-

G lud olim ab authore suo vel Hebraicè, vel syriacè scriptum & a studiosis veritatis amatoribus inter libros seorsum reconditos seruatū, deinde à Græco interprete versum, quod etsi etiam concesserimus non Hebraici, sed Græci scriptoris esse opus: Nō tamen ea de causa repudiandū est tanquā adulterinū & cōfictū, presertim cū illi apud hebręos fides non abrogetur: ne eadem ratione cogamur abiicere multas eiusdē generis scripturas ab Ecclesia receptas, & sacris voluminibus immistas, qualis sunt oratio Sidrach, Misach, & Abdenago, hymnis Trium puerorum in libro Danielis, oratio Esther, & oratio Mardochęi, epistola Aman, & epistola Mardochæi in libro Esdræ, & alis his similia, quæ ad Ecclesiæ ædificationem susceperunt patres nostri, quorum terminos nobis constitutos minimè transgredi debemus.

Secundo cum ait Danielem nusquam prophetica inspiratione correptum prophetasse, sed somniis tantum, ac visionibus, & Angelica apparitione, videtur parum obseruasse illud Pauli, multifariam, multisque modis Deum fuisse
Heb. 1. olim prophetis locutum. Nihil enim obest, quin vnus & idem propheta vna cum somniis, visionibus, & Angelicis apparitionibus consequatur etiam propheticam aspiratio
H nem: sicut in veteri scriptura innumera passim huius rei exempla in prophetis videre licet.

Tertio parum grauiter facit, dum scriptorem huius libri philistioni mimo ob id confert, quia Danielem scripserit iuxta humanę prudentiæ consilium senes seorsum vtrosque separatos interrogasse, ac si non sufficeret, quòd eos a-
3. Reg. 3. deo mirabiliter spiritus afflatu increpasset. Nam & hoc pacto deridere lucebit admirabile illud exēplum iurisdicēdi hunc assimile, quod scriptura diuina refert Salomonem seruasse in iudicāda causa duarum meretricū de infantulo superstite litigantium. Proinde credendum est, quod sicut ad persuadendum populum non satis fuit, vt Salomon, quamuis diuino afflatus spiritu, diceret, date huic infan-
I tem viuum: hæc enim mater eius est, sed oportuit, vt is in duas partes diuidi mandaret infantem, quò veram infantis mattem omnis populus experimento maternæ charitatis agnosceret: ita satis nō fuit Danieli præbyteros increpare, nisi insuper accepisset, vnde eos ex ore ipsorum coram vniuersa multitudine conuinceret.

σχῖνος lentiscus arbuscula est vnde mastix colligitur. πρῖνος arbuscula ex qua nascitur coccus,

Quarto quod inquir græcā allusionem πρίνυ ad πρίσιν, & σχίνυ ad σχίσιν, apud Hebręos non haberi, sed voces omnino diuersas, tripliciter diluitur. Primum quod incertum sit, an voces, quæ apud Hebræos idē significant, quod apud Græcos, πρῖνος & πρισαί, & σχῖνος & σχισαί, inter se ita dissentiant, vt nullam habeant soni similitudinem, siquidem cum in sanctis Hebræorum voluminibus nulla vn- K
quam fiat mentio plantarum, quæ nominibus πρίνυ & σχίνυ significantur, nullus Hebræorum constanter affirmare potest, quomodo hæc Hebraicæ alludant, quorum Hebraica nomina ignorentur. Deinde credibile etiam est Danielē pro Hebræa lingua vsum fuisse Syriacis dictionibus, que talem habuerint denominationis consonantiam. Demum fortasse accidit, quòd, cum græcus interpres exprimere vellet, vt res poscebat, Hebraicæ allusionis vim, nec posset, iuxta quamdam dispensationem interpretibus cōcessam inuenerit nomina aliarum plantarum, quæ apud græcos assimilem haberent deriuationem, & propositam Danielis sententiam lucidius explicarent.

arbuscula ex qua nascitur coccus.

Quinro, cum dubitat, quonam pacto captiuis ius esset iudicium de morte ferendi: mirari non debet, si Iudæi à rege Babylonis potestatem obtinuerint viuendi sub propriis legibus & Iudiciis, cum suo rempore videat eosdem à Romanis Imperatoribus, sub quorum captiuitate legunt, ius vitæ ac necis accepisse in suos.

Sexto, eadem facilitate eluditur, quod quęrit, vnde captiuo Ioachim, & priuatæ auditionis homini domus, &
hortus esset magnificus? neque enim hoc mirandum est, L
cum in sacris literis legamus, Mardochęum, Nehemiam, & plerosque alios captiuos fuisse diuites, & in sua captiuitate felices.

Septimo, quod ait, hoc segmentum non habere similitudinem cum Danielis volumine, & vtriusquè characterem esse diuersum, ex suo quidem iudicio & gustu pronunciasse videtur. siquis enim ambo attentè examinauerit, non magnam admodum dissimilitudinem in vtrisque inueniet.

Octauo, cum asserit neminem prophetarum alterius prophetę dictis consueuisse vti, fallitur. Vtatatur enim frequentissime alter alterius testimoniis eodem sensu, & iis- M
dem fere verbis, sicut videre licet apud Michæam dicentem, & erit in nouissimis diebus preparatus mons Domini &c. Que verba in Esaia scripta sunt. Mich. 4. Esa. 2.

Hæc breuiter perstrinximus ex Origenica epistola, in cuius calce Origenes ipse suo intulit: Hæc ego dixerim pro defendenda Susannæ historia. Atque vtinam scripturæ Susannæ ego encomium, pręcipue post accusationes, celebrare possem, rum in singulis illius dictionibus immorando, tum sensa eximia ostendendo, id quod priuatim aliquis, qui studiose & abundè meditatus fuerit in diuinis, componere poterit.

GENTIA-

GENTIANVS HERVETVS APHRICANI ET ORIGENIS EPISTOLARVM INTERPRES, LECTORI S. D.

QVAS hic habes à me latinè versas Aphricani & Origenis Epistolas de Susannæ historia, vt scias cuius beneficio habeas, velim intelligas eas à Reuerendo patre Claudio Launæo, monasterij sancti Remigij Rhemensis Hyparchimandrita, doctissimo Theologo, Roma ad me delatas, cùm eas ex sua omni librorum genere instructissima Bibliotheca exprompsisset, & describi curasset vir vt eruditissimus, & qui, si vllus alius, iure dici potest πολυίστωρ, ita etiam optimus & humanissimus, & ad iuuandum literarum studia planè natus Guilelmus Sirletus, S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis dignissimus, qui eas se habere mihi Romæ aliquando dixerat. Ex hac autem Origenis epistola, lectu certè dignissima, cùm multa alia, eáque præclara, tùm hoc vel maximè disces, non si quid non sit in Canone sacrarum scripturarum apud Hebræos, id esse reiiciendum, si à Christi Ecclesia, quæ à Spiritu sancto regitur, fuerit admissum & approbatum. Hæc certè Susannæ historia apud Hebræos vulgò non legitur, quam tamen semper agnouisse Christi Ecclesiam tanquam veram & certam, plurimorum veterum autoritate & testimonio probatur. Quæ cùm apud doctiores Hebræos haberetur in Apocryphis (ita enim vocantur arcana, & quæ non vulgò, sed solis doctis sunt nota) ex hoc inferri potest, vt apud illos, ita etiam apud Christianos, non quæcunque sunt apocrypha, esse reiicienda. Ex ea etiam facilè intelliges, cùm ex Epistola ad Hebræos, quam vt veram & germanam Pauli Epistolam admittit Origenes, multa enumerentur supplicia, quæ vel nusquam leguntur in scripturis cuiquam inflicta, vel si leguntur, ea non sunt in Canone Hebræorum: intelliges, inquam, partim multa celasse Hebræos, quæ sunt verissima ac certissima, partim non esse reiicienda quæ admittit Ecclesia, licet ea reiiciat Iudæorum synagoga. Nam quod est in ea ad Hebræos Epistola, Alij autem distenti sunt, quod Græcè est, ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν· nusquam alibi inuenitur in scripturis quàm in libris Maccabæorum, quos non Canon Hebræorum, sed admittit consensus vniuersæ Christi Ecclesiæ. Ex ea quoque annotabis, cùm tempore Origenis multæ essent sacrorum librorum editiones, eum tamen cæteris prætulisse editionem Septuaginta interpretum, quod ea per omnes legeretur Ecclesias. Quo fit, vt nos quoque, cùm multæ extent hodiè Bibliorum editiones, eam præ cæteris debeamus amplecti, quæ & multorum seculorum consensu, & postremo Concilij Tridentini decreto est approbata. Sed vt Origenes Septuaginta quidem interpretum magis sequebatur editionem, & tamen legebat etiam cæteras, ita nos quoque eam quidem sequamur editionem quæ legitur in Ecclesiis, cæteras autem non aspernemur, sed legamus, vt meliùs intelligamus quæ scripta sunt Hebraice. Linguæ enim Hebraicæ phrasim, quam non rarò nulla alia assequitur lingua, alius alio meliùs & dilucidiùs explicat. Optimum quidem esset sacram scripturam ex ipsis haurire fontibus: sed quoniam non cuiuis homini, vt est in prouerbio, contingit adire Corinthum, reliquum erit, vt ad veterem nostram editionem meliùs intelligendam, cæterarum quoque editionum subsidio adiuuemur. Plurima alia notatu dignissima non dubito, studiose lector, quin in iis legendis obseruaturus, quorum non opus est vt te admoneam, ne vel de tuo ingenio vel iudicio videar diffidere. Finem ergo faciam, & te rogabo, vt si inter legendum aliquid occurrerit, de quo non dubito, quòd tu lubenter legas, in tuis ad Deum precibus memineris interpretis, qui suo labore & industria perfecit, vt quod est tibi lectu iucundum, id facilè intelligas. Vale, lege, & fruere.

Heb. 11.

G

DE HISTORIA SVSANNAE.

SALVE, Domine mi & filj, & omni ex parte venerãde Origenes ab Aphricano. Quando faciebas sacram ad Agnomonem Dialogum, meministi Prophetiæ Danielis in iuuenture: quam runc vt decuit sum amplexus. Miror autem quemadmodum te latuerit hãc libri partem esse adulterinam. Nam hæc pars est alioqui quidem scriptum elegans & lepidum, sed esse nouum & confictum ostenditur, & multis modis conuincitur. Iussa enim mori Susanna, spiritu arreptus Daniel exclamauit iniustam esse sententiam. Primùm Daniel alio modo prophetat, nempè somniis & visionibus omni tempore, & Angelorum assequitur apparitionem, non aurem prophetica inspiratione. Deinde postquam adeò admirabiliter ea est effatus, præter opinionem & expectationem eos sic refellit, vt nec minus quidem Philistionis. Non enim suffecit increpatio per spiritum: sed vtrumque seorsum separatum percontatur vbi eam conspexisset adulrerium admittentem. Postquam autem alter quidem dixit sub prino, responder Angelum eum secaturum: alteri autem qui dixerat sub schino, minatur similiter eum discindendum. Arque in Græcis quidem vocibus fit, vt ea pulchrè consonent, nempè prino πρίσαι quod est secare, & schino σχίσαι quod est scindere: In voce autem Hebræa distant penitùs. Ex Hebræis autem sunt Græcis conuersa quæcumque veteris testamenti feruntur apud Iudæos. Neque verò est hoc probabile de Iudæis, qui erant Babylone captiui, vexabanturque, & in plateis proiiciebantur insepulti, vt narratur in priori captiuitate Israelis, & tunc abstrahebantur eorũ filij vt fierent Eunuchi, & filiæ vt essent concubinæ, sicut à Propheta fuerat prædictum: alij autem in iudicio veniebant in discrimen capitis, idque cùm venisset in potestatem Regis ipsa vxor Ioachim, quam Rex Babyloniorum considere fecerat in suo throno. Sin autem non fuit is Ioachim, sed aliquis alius è plebe, vndenam venerat ad captiuum ralis habitatio, & vndenam habuit tam elegantem & amœnum horrum? Ad hæc omnia accedit, quòd hæc pars præter alias duas quæ sunt in fine, non inseritur in Daniele, quem susceperunt Hebræi. Præter hæc omnia, cùm tot præcesserint Prophetæ, nullus alius deinceps vsus est sensu verborum alterius, neque enim emendicasset, si vera esset oratio. Hic autem alteri eorum minitans, in memoriam reuocat Dominum dicentem, Insontem & iustum non occides. Ex his omnibus mihi videtur hæc pars adiecta. Sed & phrasis, & dictionis stylus differt. Pulsaui, tu sona, & rescribens erudi. Dominos meos omnes saluta. Te omnes qui adsunt, & ego simul cum synodia, te bene valere ex animo Deum rogo.

H

πρῖνος, genus ilicis. σχῖνος, lentiscus.

I

ORIGENES APHRICANO dilecto fratri in Deo Patre, per Iesum Christum, sanctum eius filium salutem.

EPISTOLA quidem tua, per quam didici quæ contexuisti de Susanna, quæ in Daniele fertur in Ecclesiis, videtur quidem esse breuis, sed in paucis multas habere quæstiones, quarum vnaquæque non leui & perfunctoria eget pertractatione, sed tanta, vt stylum exuperet epistolæ, & libri opus habeat circumscriptione. Ego autem ingenij mei mediocritatem pro viribus considerans, vt non sit meus satis perspicax sensus, video mihi deesse exactam & accuratam solertiam, quæ requiritur ad rescribendum tuæ epistolæ: sicut nec pauci dies, quibus sum versatus Nicomediæ, sufficiebant ad hoc, vt conuenienter præsenti dictioni, rescriberem de iis quæ quæsiuisti & postulasti. Quamobrem dans veniam & meæ mediocritati, & temporis angustiæ, cum omni beneuolentia attende epistolæ, simul etiam afferens, si quid est à nobis relictum. Atque primùm quidem dicebas, quòd quando disserebam cum familiari nostro Basso, & incidi in scripturam Danielis iunioris, qui prophetauit de iis quę euenerunt Susannę, hoc feci, quòd me lateret hãc libri partem esse adulterinã. Et dicebas te quidem hanc laudare partem, vt quæ sit quidem scriptum elegans & lepidum, sed nouum & confictum. Dicebas autem, quod nec minus quidem Philistionis iis vsus sit allusionibus, quibus qui hoc scriptum confinxit ex nominum propinquitate, nempè πρίνου ad πρίσιν hoc est primi ad sectionẽ, & σχίνου ad σχίσιν hoc est Schini ad discissionem, quæ lingua quidem Gręca esset huiusmodi, Hebræa autem minimè. Scias ergo quid adhæc nos facere oporteat, non solùm de iis quæ in nostro quidem Græco sermone feruntur in omni Ecclesia Christi, nõ habentur autem apud Hebræos: neque de aliis duabus, vt dicebas, partibus quæ sunt in fine libri scriptæ de Bele & Dracone: sed etiam de mille aliis, quæ pro captu nostræ mediocritatis cum Hebraicis conferentes exemplaribus, nostra sæpè inuenimus. Nam in ipso quidem Daniele, in ea parte quæ est de fornace ardente, inuenimus, & vincti: In nostris autem exemplaribus, pręter ea quę sunt in Hebraïcis, supersunt non pauca, quorum erat quidem initium congruenter quibusdam quę feruntur in Ecclesiis. Sic ergo precati sunt Ananias, & Azarias, & Misaël, & hymnis laudarunt Dominum: vsque ad illud, Benedicite omnes qui colitis Dominum Deum Deorum, laudate & confitemini, quoniam in seculum misericordia eius, & in secula seculorum. Et factum est, dum audisset Rex eos hymnos canentes, & aspiciebat eos viuentes. Secundum alia autem exemplaria, Et ambulabant in medio flammæ, Deum laudantes, & benedicentes Dominum: vsque ad illud, Benedicite omnes qui colitis Dominum Deum. Laudate & confitemini, quoniam in omnia secula misericordia eius. Coniunctum autem erat in Hebraicis & illud: Et viri illi tres. Sidrach, Misach, & Abdenago ceciderũt in medium ignis vincti. Tunc Rex Nabuchodonosor miratus est, & confestim surrexit, & respondit, & dixit magnatibus suis. Sic enim Aquila Hebraicę dictioni seruiens, reddidit, qui apud Iudęos creditus est scripturam Maiori cum laude esse interpretatus: quo maximè solent vti, qui sermonem ignorant Hebręum, vt qui maximè omnium eum sit assecutus. Nostra autem exemplaria, quorum etiam verba posui, erant, vnum quidem secundum Septuaginta, alterum autẽ secundum Theodotionem. Et quomodo apud vtrumque erat de Susanna, vt tu dicis, figmentum, & extremæ partes in Daniele, ita etiam hæc in versibus, vt semel dicam, ducentis. Porrò autem in multis quoque aliis sanctis libris inuenimus alicubi quidem plus esse apud nos quàm apud Hebræos, alicubi autem minus. Exempli autem causa, quoniam non adsumi possunt omnia, pauca proferemus. Vt in libro Esther, neque Mardochæi, neque Esther preces, quæ legentem possunt ædificare, habentur apud Hebræos. Sed neque epistolæ, neque quæ ad animam scripta est de euersione gentis Iudæorum, neque Mardochæi ex nomine Regis Artaxerxis, gentem à morte liberans. Sed & in Iob, ab illo loco, Scriptum est autem illum resurrecturum cum iis quos suscitat Dominus, ad finem vsque, non est apud Hebræos. quamobrem neque apud Aquilam. Apud Septuaginta autem & Theodotionem ea sunt, quæ tantundem valent inter se. Mille quoque alia inuenimus in Iob in nostris exemplaribus, quæ & minus & plus habent quàm apud Iudæos. Minus quidem: Surgens manè offerebat pro

L

Dan. 3.

M

πεπεδημένοι, cõpediti, id est, vincti pedicis.

ὡς τῷ χαμῷ εἰπεῖν leg. fort. ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν.

Esther. 2. & 3.

Iob. 42.

Iob. 1.

A peccato pro anima eorum. Et, Quando venerunt Angeli
„ Dei, vt adstarent coram Deo, Diabolus quoque venit cum
„ ipsis. Et illud, Postquam circuiui terram, & obambulaui
„ in ea. Præterea non erat apud Hebræos illud, dominus de-
Iob. 2. dit, Dominus abstulit. Sicut Domino visum est, ita & fa-
„ ctum est. Plura sunt autem in nostris quàm in Hebraicis:
„ quando Iobo dixit vxor eius, ab illo loco, Quousque per-
manebis, dicens, Ecce, maneo adhuc modicum tempus,
expectans spem salutis meæ: vsque ad illud, Donec quies-
cam à laboribus meis & doloribus qui me nunc angunt.
Solùm enim scripta sunt verba mulieris, nempè, Sed dic
verbum ad dominum, & morere. Rursus autem per totum
medium libri Iob plurima quidem sunt apud Hebræos,
nequaquam autem apud nos. Et sæpè quidem quatuor
aut tres versus, nonnunquam autem quatuordecim & no-
uemdecim, & sedecim. Et quid opus est vt recenseam quę
selegi cum multo labore, ne me lateret differentia exem-
plarium, quæ sunt apud Hebræos & apud nos? Multa hu-
iusmodi animaduertimus etiam in Hieremia, in quo etiam
magnam inuenimus transpositionem, & mutationem eo-
Genes. 1. rum quæ prædicuntur. Porrò autem in Genesi quoque il-
lud, vidit Deus quod esset bonum, ad id. Quod factum es-
set firmamentum, apud Hebræos non inuenitur. Et est hęc
apud eos non leuis quæstio. Sed nec ea inueniri possunt in
Genesi, quibus signa adiecimus, quæ apud Græcos vocan-
tur obeli seu obelisci, vt id sit nobis notum: sicut rursus a-
B steriscos iis quæ sunt quidem in Hebræo, apud nos autem
non inueniuntur. Quid opus est vt dicàm de Exodo, vbi
quæ pertinent ad tabernaculum, & eius atrium, & arcam,
& quæ ad indumenta Pontificis & Sacerdotum, valde
sunt mutata, adeò vt ne videatur quidem esse sensus simi-
lis. Vide ergo ne imprudentes & inscientes abrogemus
exemplaria quæ habentur passim in Ecclesiis, & legem sta-
tuamus fraternitati, vt deponant quidem sacros qui apud
eos feruntur libros, assententur autem Hebræis, & persua-
deant vt nos puris impertiant, & qui nihil habeant figmẽ-
ti. An non prouidentia in sanctis scripturis dedit omnibus
Christi Ecclesiis ædificationem? Non curam gessit eorum
qui empti sunt pretio, pro quibus Christus est mortuus?
qui cùm sit eius filius, ei non pepercit Deus qui est chari-
tas, sed pro omnibus eum tradidit, vt cum eo omnia nobis
Cor. 7. gratis donet. Ad hæc autem considera, an non sit bonum
Rom. 5. meminisse eius quod scriptum est, Non transpones termi-
Rom. 8. nos æternos quos statuerunt patres tui. Hæc autem dico,
Deut. 14. non quòd verear ac dubitem scrutari quæ sunt apud Iu-
dæos scripturas, & omnes nostras cum illorum scripturis
conferre, & uidere quænam sint in eis differentiæ. Si non
est quidem certè graue & arrogans dicere, hoc gnauiter
pro viribus fecimus, vt mentem nostram exerceremus in
omnibus editionibus, & earum differentiis, cum eo quòd
C longè magis exercebamus interpretationem Septuaginta,
ne videremur falsi & adulterini aliquid inducere in Eccle-
sias quæ sunt sub cœlo, & daremus prætextum iis qui quæ-
runt occasionem, & volunt eos qui sunt in medio calum-
niari, & eis, qui sunt in communi criminari. Exercemus au-
tem, vt non ignoremus, etiam eas quæ sunt apud illos: vt
cum Iudæis disserentes, eis non adducamus quæ sunt pro-
posita in eorum exemplaribus: & vt cum eis vtamur iis
quæ apud illos habentur, & non sunt in nostris libris. Nam
cum sit eiusmodi noster apparatus in quæstionibus aduer-
sus ipsos, non despicient, neque, vt mos est eorum, irride-
bunt eos qui credunt ex gentibus, tanquam qui ignorent
vera quæ apud eos scripta sunt. Atque hæc quidem dicta
sint ad hoc, quòd non habeantur apud Hebræos quę scri-
buntur de Susanna. Videamus autem etiam ea quæ affers
ad libri reprehensionem. Et primùm incipiamus ab eo,
quod posset pudorem suffundere, ne admittatur historia,
nempè παρονομία id est, ad nomen allusio, πρίνου qui-
dem ad πρίσιν, σχίνου autem ad σχίσιν. De quo tu quidem
pronuntiasti, vt qui aliquo modo ea comprehẽderis, quòd
euenit quidem vt in Græcis vocibus hæc consonent, in
lingua autem Hebraïca distent penitùs.
Ego autem adhuc dubito. Nam cùm de iis quæ
sunt in hoc loco, essem sollicitus, vt qui de iis ipse du- D
bitassem, cum non paucis Hebræis contuli, rogans, quem-
admodum apud eos nominetur Primus, & quemadmodũ
dicant πρίζειν hoc est secare. Præterea autem pro quonam
accipiunt Schinum plantam, & quomodo nominant
σχίζειν id est scindere. Alij autem dicebant se ignorare
vocem Græcam πρῖνον & σχῖνον petebant autem, vt sibi
ostenderentur arbores, vt viderent quasnam voces eis tri-
buant. Ego verò non dubitaui (amica est enim veritas)
ipsa ligna in eorum conspectum adducere. Alius autem
dicebat, quæ nusquam nominata sunt à scripturis, se non
posse affirmare, quemadmodum dicantur Hebraicè: In
promptu autem esse, vt qui dubitauerit, Syriaca voce vsus
sit pro Græca: Dicebátque etiam apud valde doctos di-
ctiones aliquas aliquando quæri. Si ergo (inquit) potes
ostendere, quomodo sit nominata Schinus aut Prinus in
aliqua scriptura, illinc inuenerimus quod quęritur, & quę-
nam sit ad ea allusio nominis. Si verò nusquam sunt no-
minata, id quoque nos latet. Cùm hæc ergo, quod attinet
ad historiam, dicta sint ab Hebræis, cum quibus habui cõ-
suetudinem, ego quidem caueo ne pronunciem, vtrum e-
tiam apud Hebręos seruetur eadem vis nominum in his al-
lusionis. Tu autem scis fortassè quemadmodum hoc affir-
matis. Memini autem cum studioso Hebręo, & appellaba-
tur apud eos filius sapientis, vt qui esset educatus vt patri
succederet, de multis contulisse. A quo, vt potè Susannę E
historia nequaquam abrogata, didici Seniorum quoque
nomina, vt quę sita sint in Hieremia, & hoc modo se ha-
beant: Te faciat Dominus vt Sedechiã & vt Achiab, quos
Rex Babylonis frixit in sartagine in igne, propter iniqui- Hier. 29.
tatem quàm fecerũt in Israel. Quomodo autem alter qui-
dem ab Angelo secatur, alter verò discinditur, dicendum
est, non in pręsenti seculo hæc eis pręd ici, sed in Dei iudi-
cio futuro post eorum hinc decessum. Quomodo enim Matt. 24
malum dispẽsatorem, qui dicebat, Tardat Dominus meus „
venire, & ideò vacabat ebrietati, & conuiuabatur, & bi- „
bebat cum temulentis, & verberabat conseruos, Dominus „
cùm venerit, diuidet, & partem eius ponet cum infideli-
bus: Ita etiam hos, qui appellati quidem sunt Presbyteri,
malè autem administrarunt dispensationem, conuenienter
malo qui illic est dispensatori, iubebit diuidi. Nam quidam
Angeli, quibus mandatum est minus suppliciorum, eos sic
afficient: & alter quidem discindet inueteratum dierum
malorum, qui iniquas tulit sententias, & damnabat qui-
dem insontes, sontes autem absoluebat: alter autem seca-
bit, vt qui esset semen Chanaan, & non Iuda, eum qui de-
ceptus fuerat à pulchritudine, & cuius cor peruersum fue-
rat à libine. Porrò autem alium quoque noui Hebræum,
qui de his Presbyteris seu senioribus tales afferebat tradi-
tiones: quòd iis qui in captiuitate sperabant se per Christi
aduentum liberandos à seruitute inimicorum, præ se fere- F
bant isti presbyteri se de Christo, vt qui scirent quæ erant,
declarare: & vterque eorum pro se, in quam incidebat
mulierem, & cui volebat vitium afferre, in secreto ei dice-
bat, quòd sibi à Deo datum esset Christum seminare. Dein-
de spe gignendi Christi decepta mulier se tradebat dece-
ptori. Et sic in vxores ciuium perpetrabant adulterium
Presbyteri Achiab & Sedechias. Quamobrem rectè à Da- Dan. 13.
niele, alter quidẽ dictus est inueteratus dierum malorum,
alter verò audiit, Sic faciebatis filiabus Israël, & illæ timẽ-
tes vobiscum habebant consuetudinem: sed filia Iudæ non
sustinuit iniquitatem vestram, fortè enim Deus & metus,
quæ multum possunt inter mulieres, efficiebat, vt eæ præ-
berent sua corpora Presbyteris, seu senioribus qui dicun-
tur. Sed est verisimile te ad hæc quęrere, cur apud eos in
Daniele non habetur historia, si hęc, vt dicis, tradunt eorũ
sapientes. Ad hęc dicendum, quòd ex iis quę Presbytero-
rum & magistratuum & iudicum cõtinebant vituperatio-
nem, quęcunque potuerunt, sustulerunt à cognitione po-
puli: quę quidem seruantur in arcanis. Huius autem exem-
plum dabimus, quę narrantur de Esaia, & ab Epistola ad
Hebręos adducuntur in testimonium, scripta in nullo li-
bro ex iis qui sunt palã. Prophetas enim, & quę passi sunt,

G percenſens is qui ſcripſit Epiſtolam ad Hebræos, dicit, lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. *Hebr.* 11. Percontabimur enim ad quem refertur illud, Secti ſunt, quod priſco quodam more non ſolùm Hebraico, ſed etiam Græco, in plurali numero dicitur de vno. Eſt manifeſtum quòd dicunt traditiones ſectum eſſe Eſaiam Prophetam: & hoc habetur in quodam apocrypho. Quod quidem fortaſſe conſultò per dolum factum eſt à Iudæis, quibuſdam non decentibus ſcripturæ iniectis dictionibus, vt toti fides abrogaretur. Sed eſt veriſimile quendam, qui premebatur ab ea quæ eſt in his demonſtratione, vſum eſſe conſilio eorũ, qui Epiſtolam abrogent, tanquam quæ non ſit Pauli. Aduerſus quem aliis ſeorſum vtimur rationibus, ad probandum Pauli eſſe epiſtolam. Adducam ergo in præſentia ex Euangelio, ea quæ teſtatur Ieſus Chriſtus de Prophetis, & quæ ab ipſo quidem dicitur hiſtoriam: nõ habetur autem in veteribus ſcripturis, quoniam ipſa quoque continebat accuſationem iniquorum iudicum in Iſraël. Sic autem habet dictio dicta à Seruatore: *Matt.* 23 „ Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis, Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non fuiſſemus eorum ſocij in ſanguine Prophetarum. Quamobrem vobis ipſis fertis teſtimonium, quòd eſtis filij eorum qui occiderunt Prophetas. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum. Serpentes, fœtus viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Propterea ecce mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, H & ſcribas. Ex ipſis occidetis & crucifigetis, ex ipſis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini à ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt in terra à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. *Matt.* 23. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper hanc generationem. *Luc.* 13. Et quod deinceps ſequitur, non diſcrepat ab iis quæ prius ſunt poſita: quod ſic habet: „ Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui miſſi ſunt ad te, quoties nolui congregare filios tuos, quẽadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis? Ecce relinquitur vobis domus veſtra deſerta. Videamus autem, num ſit dicendum in his quidem verum dicere Seruatorem, non inueniri autem ſcripturas, quæ ſignificent ea quæ narrantur à Seruatore. Nam qui ædificant ſepulchra Prophetarum, & ornant monumenta iuſtorum, damnantes ea quæ auſi ſunt Preſbyteri in iuſtos & Prophetas, dicunt, Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non fuiſſemus eorum ſocij in ſanguine Prophetarum. Dicat ergo nobis quiſpiam, Quorumnam Prophetarum ſanguine? Vbinam enim eſt ſcriptum aliquid eorum de Eſaia, aut Hieremia, aut aliquo ex duodecim, aut Daniele? Sed & de Zacharia filio Barachię occiſo inter templum & altare, à Ieſu quidem didicimus, à nulla autem alia ſcriptura cognouimus. I Quamobrem nõ aliud procuraſſe exiſtimo eos qui exiſtimabantur ſapientes, & principes, & ſeniores populi, quàm vt ea adimerent, quæ eorum continebant accuſationem ad populum. Non eſt ergo mirum, ſi veram hiſtoriam Suſannæ, cui pararunt inſidias impudici ſeniores, ij qui non longè aberant ab inſtituto illorum presbyterorum, ſuffurati ſunt & ſubtraxerunt à ſcripturis. *Act.* 7. Porrò autem in Actis quoque Apoſtolorum Stephanus teſtimonium ferens, hæc dicit aduerſus multos: „ Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri, & occiderunt eos qui prius annuntiauerunt de aduẽtu iuſti, cuius nunc vos proditores & occiſores fuiſtis? Verum quidem dicere Stephanum fatebitur quicunque admittit Acta Apoſtolorum. Probari autem non poteſt ex veteri Teſtamento, quòd iuſtè accuſet patres eorum qui non credunt in Ieſum, neque ex libris quos habemus noui Teſtamenti. Paulus quoque *1 Th.* que in priori ad Theſſalonicenſes hæc de Iudæis teſtificãs, dicit, Vos autem imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei, quę ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu: quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt, & Prophetas & nos perſecuti ſunt, & Deo nõ placent, & omnibus hominibus aduerſantur, prohibentes nos gentibus loqui, vt ſalui fiant. K Exiſtimo in iis quæ præcedunt, nos ſatis oſtendiſſe, fuiſſe quidem hiſtoriam, & cum magna intemperantia fuiſſe perpetratam ab iis qui tunc erant Presbyteri, crudelitatem aduerſus Suſannam, & ſcriptam quidem eſſe prouidentia ſpiritus, ſubtractum autem eſſe, vt ita dicam, ſpiritum à principibus Sodomorum. Dicebas præterea, quòd Daniel ab hac quidem ſcriptura dicitur arreptus ſpiritu exclamaſſe iniquam eſſe ſententiam: quæ autem citra veram controuerſiam eſt eius ſcriptura, alio modo continet eum prophetare, nempè viſionibus & ſomniis, & Angeli apparitione, nequaquam autem prophetica inſpiratione. Tu autem mihi videris non admodum obſeruaſſe multifariam multiſque modis Deum olim locutum eſſe patribus in Prophetis, nõ ſolùm in omnibus, ſed etiam in ſingulis. Si autem obſeruaueris, inuenies iiſdem ſanctis & diuina fuiſſe ſomnia, & apparitiones Angelicas, & inſpirationes. Satis eſt autem in præſentia adhibere pro teſtimonio ea quæ ſcripta ſunt de Iacob, qui de ſomniis quidem hæc narrat: *Gen.* 30. „ Et factum eſt, cùm oues coïtum appeterent, & vidi oculis meis eas in ſomno: & ecce Hirci & arietes aſcẽdebant oues & capras, albi & varij, fuſci & maculoſi. Et dixit mihi Angelus Dei in ſomno, Iacob. Ego autem dixi, Quid eſt? Et dixit, Aſpice oculis tuis, & vide hircos & arietes aſcendentes oues & capras albas & varias, fuſcas, & maculoſas. Vidi enim quæcunque tibi facit Laban. Ego ſum Deus, qui tibi viſus ſum in loco Dei, in quo vnxiſti mihi columnam, & mihi illic fudiſti preces. Nunc ergo ſurge, & egredere ex hac terra, & abi in terram generationis tuæ. Vera autem potentioris, & non in ſomnis fuit viſio, ea quæ de eo dicta ſunt: *Gen.* 32. „ Remanſit autem Iacob ſolus, & luctabatur homo L cum ipſo vſque ad mane. Vidit autem quòd non poteſt aduerſum ipſum: & tetigit latitudinẽ femoris eius, & obtorpuit latitudo femoris Iacob, dum ipſe cum eo luctaretur: & dixit ei, Mitte me: aſcendit enim mane. Ille autem dixit, Non te dimittam niſi mihi benedixeris. Dixit autem ei, Quod eſt nomen tuum? Ille verò dixit, Iacob. Dixit autem ei, Non vocabitur amplius nomen tuum Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum: quoniam fortis fuiſti cum Deo, & cum hominibus potens. Interrogauit autem illum Iacob, & dixit, Annuntia mihi nomen tuum. Et dixit, Cur rogas nomen meum? Et benedixit ei illic. Et vocauit Iacob nomen loci illius, formam ſeu ſpeciem Dei. Vidi enim Deũ facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Ortus eſt autem ſol, quando pertranſiit forma Dei. Quod autem etiam ex inſpiratione propheter, ex his eſt perſpicuum: *Gen.* 39. Vocauit Iacob filios ſuos, & dixit, Congregemini vt annuntiem vobis quid efficietur vobis in nouiſſimis diebus. Cogimini, & audite filij Iacob, audite Iſraël patrem veſtrum. Ruben primogenitus meus, tu es virtus mea, & initium filiorum meorum, durus ad ferendum, & valde arrogans: fuiſti iniurioſus, tanquam aqua non efferueſcas. Aſcendiſti enim cubile patris tui: tunc polluiſti ſtratum quod aſcẽdiſti. M Similiter & ad reliquos benedictiones, dictæ ſunt Prophetiæ ex inſpiratione. Non eſt ergo mirum, Danielem quidem aliquando ex inſpiratione eſſe locutum ad ſeniores, eos arguendo: aliquando verò in ſomniis, vt tu dicis, aut viſione: & aliquando ei eſſe factam Angeli apparitionem. Aliæ autem tuæ dubitationes mihi videntur dictæ eſſe minus grauiter, & non eam adhibere quam decet cautionem. Satius eſt autem id ponere iiſdem quibus à te ſcriptum eſt dictionibus. Deinde poſtquam adeò admirabiliter ea eſt effatus, præter opinionem & expectationem eos ſic refellit, vt ne minus quidem Philiſtionis. Non enim ſuffecit inceptatio per ſpiritum: ſed vtrumque ſeorſum ſeparatum percontatur, vbi eam conſpexiſſet adulterium admittentem. Poſtquàm autem alter quidem dixiſſet, Sub prino, reſpondit Angelum eum ſecaturum: Alteri autem qui dixerat, Sub ſchino, minatur ſimiliter eum diſcindendum. Tempeſtiuè enim profero aliud ſimiliter atque id dictum in tertio Regum, quod quidem ipſe quoque fateberis ſimiliter ſcriptum atque mimum Philiſtionis. Sic autẽ habet dictionis contextus ex libro Regum: Tunc apparuerunt

A runt duæ mulieres meretrices Regi, & steterunt coram
3.Reg. 3. ipso. Et dixit mulier vna Regi, in me Domine mi. Ego qui-
,, dem & mulier hęc habitamus in vna domo, & peperimus
,, domi: & factum est tertio die ex quo peperi, peperit etiam
,, hæc mulier: & nos simul. Nullus est enim in domo nostra
,, præter nos ambas. Et mortuus est filius mulieris noctu, vt
,, dormiuit super ipsum. Et surrexit media nocte, & accepit
,, filium meum ex vlnis meis: & ancilla tua dormiebat: &
,, sopiuit eum in sinu suo, & filium suum mortuum sopiuit
,, in sinu meo. Et surrexi mane vt lactatem filium meum, &
,, ille erat mortuus. Et ecce consideraui eum manè, & ecce
,, non erat filius meus quem peperi. Et dixit mulier altera,
,, Nequaquam: sed est filius tuus qui est mortuus: filius au-
,, tem meus est qui viuit. Alia autem ipsa quoque dicebat,
,, Nequaquam, sed est filius meus qui viuit: filius autem tuus
,, est mortuus. Et locutę sunt coram Rege. Et dixit Rex ipsis:
,, Tu dicis, hic est filius meus qui viuit: & tu dicis, Nequa-
,, quam, sed filius meus qui viuit, filius autem ipsius is qui est
,, mortuus. Et dixit Rex, Accipite mihi gladium: & attule-
,, runt gladium coram Rege. Et dixit Rex, diuidite infantem
,, viuentem in duas partes, & date dimidium eius huic, &
,, eius dimidium illi. Et respondit mulier, cuius erat filius is
,, qui viuebat, Regi, quoniam conturbatus erat eius vterus
,, in filio, & dixit, In me Domine. Date ei infantem qui vi-
,, uit, & ne morte eum afficiatis. Et altera dixit, Neque mihi,
B ne que ipsi sit, diuidite ipsum. Et respondit Rex, & dixit,
,, Date infantem viuum mulieri quæ dixit, Date ei ipsum, &
,, morte ne afficiatis ipsum, quoniam hæc est mater eius. Et
,, audiuit omnis Israël iudicium quod iudicauit Rex, & ti-
,, muerunt à facie Regis, quoniam viderunt quòd prudentia
,, Dei in ipso ad faciendas iustificationes. Nam si de iis, quæ
,, habentur in Ecclesiis, oporteret pronuntiare ludificatoriè
& cum irrisione, oporteret mimo Philistionis magis assi-
milare duarum meretricum historiam, quàm historiam
Susannę: Quomodo autem non sufficiebat ad populo per-
suadendum quòd diceret Salomon, Date illi infantem vi-
,, uentem, ea est enim mater ipsius, ita non sufficiebat quæ à
Daniele facta fuerat seniorum increpatio, nisi accederet
quæ ex eorum ore facta est probatio, dicentium quidem
sub quanam arbore eam vidissent dormientem cum iuue-
ne, non conuenientium autem quænam esset ea arbor. Et
quoniam tanquam qui comprehenderit, dicebas ex inspi-
ratione Danielem indicasse seniores, fortassè quidem sic
conuincentem, fortasse autem aliter, attende hæc quoque
de Daniele mihi videri esse similia iudicio Solomonis, de
quo testatur scriptura, vidisse populum quod Dei sapientia
3.Reg. 3. esset in ipso, vt faceret iustificationem, quibus sunt iudica-
ta quæ scripta sunt de senioribus. Pòrrò hoc quoque pro-
pemodum me latuit, necessarium vt addatur de prino πρίσιν, id est sectionem, & de schino σχίσιν, id est discissionē,
quòd in nostris quoque scripturis sunt quędam veluti ety
mologiæ, quæ apud Hebræos quidem propriè & conue-
nienter se habent, apud nos autem non itidem. Non est er-
C go mirandum, si qui Susannæ historiam sunt interpretati,
procurarent vt esset verbum consonans Hebraico. Non e-
nim existimo denominatiuū habere proportionem & cō-
uenientiam cum consonante Hebraïco nomine. Quomo-
do autem hoc inueniatur in nostra scriptura, ostendemus.
Dicit Adam de muliere ædificata à Deo ex costa viri, Hæc
vocabitur mulier, quoniam ex viro eius sumpta est. Di-
cunt autem Hebræi Essa quidem vocari mulierem: osten-
di autem ex dictionis contextu: Et ædificauit Dominus
Deus costam, quam accepit à viro. נשא enim significat
accepit, vt patet ex eo כוס אשא הישיעות, quod in-
terpretatur, Calicem salutaris accipiam. Is autem signifi-
cat virum, vt patet ex hoc, אשרי האיש, id est, beatus
vir. Secundum Hebræos ergo is & Essa, vir & mulier. Essa
quidem ab is, id est à viro, quoniam à viro sumpta est ipsa.
Non est ergo mirum, quòd quidam interpretati de Susan-
na Hebraïcum, in arcanis, vt est verisimile, iam olim apud
eos habitum, apud studiosos autem & veritatis amantes
conseruatum, aut propriè ediderunt dictiones, aut inuene-
runt quod responderet Hebraïcis denominatiuis, vt possi-
mus nos Græci eos assequi. Nam in multis quoque aliis li- D
cet inuenire quædam certo consilio fuisse edita ab inter-
pretibus, quæ quidem nos obseruamus, inter se conferen-
tes omnes editiones. Præterea his quoque verbis dubitas,
quomodo cùm essent Babylone captiui, vexarenturque, &
in plateis proiicerentur insepulti, vt narratur in priori ca-
ptiuitate Israël, & abstraherentur eorum filij vt fierent Eu-
nùchi, & filiæ vt essent concubinæ, sicut in Prophetia fue-
rat prædictum: alij autem in iudicio venirent in discrimen
capitis: idque cùm venisset in potestatem Regis ipsa vxor
Ioachim, quem Rex Babyloniorum considere fecerat in
suo throno. Sin autem non fuit is Ioachim, sed aliquis alius
ex plebe, vndenam veneram ad captiuum talis habitatio, &
vndenam habuit tam elegātem & amœnum hortum? Vn-
denam autem accepisti quod dicebas, vexarentur, & in
plateis proiicerentur insepulti, nisi, quantum ego possum
nosse, ex Tobia, de quo nos oportet scire, quòd Hebræi
Tobia non vtuntur, neque Iudith. Non enim ea habent ni-
si in Apocryphis, id est, in occultis, Hebraicè, vt ab ipsis di-
scentes cognouimus. Sed quoniam Tobia vtuntur Eccle-
siæ, sciendum est, quòd etiam in captiuitate quidam capti-
ui erant diuites, & res suas rectè gerebant. Ipse autem dicit Tob. 1.
Tobias: Quoniam memor fui Dei in tota anima mea; dedit «
altissimus gratiam & formam coram Nemessara, & eram «
eius dispensator, & iui in Mediam, & deposui apud Gabe- «
lum fratrem Gabriæ in Ragis Mediæ argenti talenta de- E
cem. Et subiungit paulò pòst: In diebus Nemessari feci «
multas eleemosynas fratribus meis, panes meos dedi esu- «
rientibus, & vestes nudis: & si quem vidissem ex genere «
mortuum, & proiectum post mœnia Niniuis, sepeliebam «
ipsum: & si quem occidisset Sennacherib Rex fugiens ex Iu- «
dæa, eos sepeliui suffurans. multos enim occidit in ira sua. «
Considera an non multas apertè ostēdat diuitias & facul- «
tates tantus catalogus beneficiorum Tobiæ, & maximè «
quod subiungit, dicens, Cùm cognouissem quòd quære- Tob. 1.
rer ad mortem, timore perculsus recessi, & direptæ sunt «
omnes meæ facultates. Sed & alius quoque captiuus Dia- «
chiacharus Ananielis filius fratris Tobię, præfectus fuit «
omnibus ratiociniis regni Regis Acherdonis, & vniuersæ «
administrationi. Et dicitur, Et erat etiam Diachiacharus «
pocillator, & à secretis, nempè ab annulo, & dispensator,
& ratiocinator. Mardochæus quoque versabatur in aula Esther. 1.
Regis, & tanta fuit erga ipsum eius confidentia, vt etiam 2. 3. & per totum
adscriptus sit inter benefactores Artaxerxis. Præterea in 1. Esdr. 1.
Esdra quoq; Neemias pocillator Regis, & eius Eunuchus,
genere Hebræus, petiit ædificationem templi, & impetra-
uit vt sibi liceret abire cum pluribus, & templum erigere.
Quid ergo mirum, si fuerit hortus, & domus, & possessio
cuiusdam Ioachim, siue is magno esset loco natus, siue me- F
diocri. (De eo enim nihil apertè significat scriptura.) Ne-
que enim scio vndenam enim scirem, cùm dubitem, fuerit
ne Susanna vxor Regis, propter homonymiam nominis
Ioachim? Sed dicis, Quomodo in iudicio veniebant in dis-
crimen capitis? Dicendum est autem, non esse mirandum
& incredibile, cùm magnæ gentes fuerint & subiectæ, à
Rege esse concessum, vt captiui vterentur suis legibus &
iudiciis. Nam nunc quoque Romanis regnantibus, & Iu-
dæis didrachma eis pendentibus, quænam concedente Cę-
sare possit gentis præfectus, vt nihil differat ab eo qui re-
gnum obtinet in gentem, scimus qui sumus experti. Fiunt
enim latenter conuenienter legibus iudicia, & damnantur
quidam capitis, neque cum plena omni ex parte libertate,
neque Rege omninò ignorante: idque in regione gentis
longo tempore versati didicimus, & pro certo accepimus:
quanquam sub Romanis duæ solæ relatæ sunt esse tribus,
nempè tribus Iuda & tribus Beniamin. Esto etiam leuitica
Israël autem præter populum Iuda erant decem tribus. Est
autem verisimile, Assyrio satis habentes, quod eos habe-
rent subiectos, eis permisisse propria iudicia. Hoc quoque
inueni in tua epistola his verbis: Præter hæc omnia, cùm
tot præcessrint Prophetæ, nullus alius deinceps vsus est «
sensu verborum alterius. neque enim emendicaret, si vera «
esse oratio. Hic autem alteri illorum minitans, in memo- «

G riam reuocat Dominum dicentem, Insontem & iustum
Exod. 23. non occides. Miratus sum autem, quod cùm multum sis versatus in examinandis & meditandis scripturis, non obseruaris Prophetas vti Prophetarum oratione, propemodum iisdem verbis. Quis enim nescit ex multis fidelibus id
Esa. 1. quod scriptum est in Esaia: Erit in extremis diebus mani-
„ festus mons Domini, & domus Dei in vertice montium,
„ & extolletur super colles, & venient ad ipsum omnes gen-
„ tes, & ambulabunt gentes multæ, & dicent, Agedum ascé-
„ damus in montem Domini, & in Domum Dei Iacob, &
„ annuntiabit nobis viam suam, & ambulabimus in ea. Nam
„ ex Sion exibit lex, & sermo Dei in Hierusalem: & iudica-
„ bit inter gentes, & arguet populum multum, & concident
H gladios suos in aratra, & lanceas suas in falces: & non ac-
„ cipiet gens aduersus gentem gladium, & non discent am-
Mich. 4. plius bellare. His autem simile, & iisdem verbis sic etiam
„ scriptum est in Michea: & erit in extremo dierum manife-
„ stus mons Domini paratus super vertices montium, & in
„ sublime tolletur super colles: & festinabunt ad ipsum tem
„ plum, & ambulabunt multæ gentes, & dicent, Agedum,
„ ascendamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob:
„ & ostendant nobis viam eius, & ambulabimus in semitis
„ eius. Quoniam ex Sion exibit lex, & sermo Domini ex
„ Hierusalem: & iudicabit inter populos multos, & arguet
„ gentes fortes vsque longè: & concidēt gladios suos in ara-
„ tra, & lanceas suas in falces: & non tollet amplius gens
I romphæam aduersus gentem, & non amplius discent bellare. Præterea in primo Paralypomenon, qui positus fuit

in manu Asaph & fratrum eius Psalmus laudandi Domi- K
num, cuius est initium, Confitemini, & inuocate ipsum in *1. Par.* 20
nomine eius: in plurimis quidem in initio tantum valet, „
quantum Psalmus CIIII. vsque ad, Et in Prophetis eius
nolite malignari. Postea autem XCV. ab eius initio quod „
propè accedit ad illud, Cantate Domino omnis terra, vs- „
que ad, Venit iudicatum terram. Cùm autem liceret ipsa „
verba addere, valdè breuiter hæc diximus ad propositum. Inuenies autem & de non tollendo onere in die Sabbati, non solùm scriptum apud Mosem, sed etiam in Hieremia. Et de Paschate & de legibus Sacerdotalibus inuenies & apud Mosem, & in fine Ezechielis. Addidissem autem & ipsa verba, & plura alia, nisi vidissem ob paucitatem die-
rum, quibus futuri sumus Nicomediæ, excludi tempus ad L
te scribendi. Præter hæc dixisti etiam dictionis stylum differre: quod mihi quidem nequaquam est visum. Et hæc quidem respondi, cùm non liceret, præcipuè post reprehensionem, dicere encomiū scripturæ de Susanna, insistendo vnicuique verbo: & ostendendo eximios sensus. Quod quidem poterit seorsum componere quispiam ex iis, qui res diuinas diligenter & satis sunt meditati. Hæc respondi, & rescribo ad tuam, vt dicis, pulsationem. Vtinam etiam possem erudire: nunc autem non tantum mihi tribuo.

Salutat te, qui dictandæ epistolæ fuit adiutor, & toti interfuit, quę voluit corrigens, Dominus meus & frater sanctus Ambrosius. Salutat te etiam fidelissima eius coniux
Marcella simul cum liberis, & Anicetus. Tu saluta bo- M
num Papam Apollinarem, & eos qui nos diligunt.

FINIS.